

LIOTECA NAZ.
ttorio Emanuele III
XLII
C
65
NAPOLI

R. 15A. 12

XLI
C
65


ANTONII BORREMANSII

VARIARUM LECTIONUM LIBER.


AMSTELÆDAMI.

Apud Henr. et Theod. Boom. 1676









ANTONII BORREMANSII

VARIARUM LECTIONUM LIBER.

In quo

Varia utriusque Linguæ Auctorum loca emendantur, explicantur atque illustrantur, ritus prisci eruuntur, & multa non ubique obvia docentur.

6.



VITTORIO EMANUELE III - BIBLIOTECA NAZIONALE
NAPOLI

AMSTELÆDAMI,
Apud HENRICUM & THEODORUM BOOM. 1676.

ANTONII BORREMANSII

VARIARUM LECTIONUM LIBER.

In quo

[illegible]



AMSTELODAMI,

Apud HENRICUM & THEODORUM Boom. 1676.


Clarissimo, Amplissimoque

VIRO,

D. JOANNI PESSERO, CONSULARI,

S. P. D.

ANTONIUS BORREMANSIUS.



Uave mari magno turbantibus æquora ventis,
E terra magnum alterius spectare laborem.
Non quia vexari quemquam est jucunda voluptas;
Sed quibus ipse malis careas, quia cernere suave est.

Licet enim mihi versibus iisdem ad te uti, PESSERE, quibus utitur ille, qui pandit

Unde omneis natura creet res, auctet alatque:
Quóve eadem rursus perempta natura resolvat.

Nullo quippe in loco potius, quam in turbulento mari illos versari dicendum est, qui civitati sunt, aut Reipublicæ regendæ admoti. Æstuat insana plebes, velut mare vesaniente vento, & ita Reipublicæ navem exagitat, ut ipse malus celeri

Africo saucius, antennæque gemant. Sumus hoc satis in patria nostra experti, quam abhinc triennium interno tumultu non solum concussam vidimus; sed tantum non eversam atque penitus deletam. Horrescit animus, quoties cogito quantis in turbis ac procellis omnes versati simus. Ea te tempestas clavo dejecit, quem semper in commune bonum summa cum virtute fideque rexeras. Vidisti te inermem trudi à plebe armatâ, vidisti te in carcerem rapi ab iis, quibus imperare debebas, vidisti gladium à pessimo nebulone jugulo tuo intentatum, atque eo vidisti animo, ut non senatorem te, non consulem; sed regem esse probaveris.

Rex est qui posuit metus,
Et diri mala pectoris:
Quem non ambitio impotens,
Et nunquam stabulis favor
Vulgi præcipitis movet.

Tantum potest animus, qui nullius culpæ conscius, & se ipse contentus in mediis calamitatibus se erigit. Hic à muneribus & regimine splendorem non mutuatur; sed, dum se regit, ipse muneribus splendorem

dorem dignitatemque confert. Non ponit hic fasces arbitrio popularis auræ, dum virtus intemeratis honoribus fulget. Hunc majorem ostendit casus: & quanto magis deprimis, tanto altius assurgit. Sed quid ego in communem locum excurro? Te alloquor, PESSERE, *Vir Clarissime*: Tu indignis modis à malis habitus, & Consulari fastigio deturbatus, jam privatam apud te tranquillamque vitam agis, id est, (ut ego interpretor) latissimum regnum possides. Jam securus vides quantis in periculis degant, quam nec plebi suæ satisfaciant, qui tibi ac tui similibus in regimine successerunt. Frueris isthoc solatio, quod tacitis votis isti te vicissim Consulem exoptant, qui ut diu Consul esses non siverunt. Nec tacite tantum hoc vovent. Audivi nuper, cum aliquis, qui & ipse non minimus fuerat turbator, palam profiteretur malam gratiam vulgus tibi retulisse, optimo Consuli, quem pristino honori restitutum nunc omnes cuperent. Sed quicquid hujus aliquando futurum sit, θεῶν ἐν γούνασι κεῖται: neque tam propter te, ut fiat, quam propter ipsos

cives, est optandum. Tu interim magnum aliorum laborem tutus spectas, ac vere de te dicere potes, quod Scipionem Africanum dicere solitum accepimus, numquam te minus otiosum esse, quam cum otiosus, nec minus solum esse, quam cum solus sies. Quid enim? Illine soli aliquid agere censendi sunt, qui in senatu sententiam dicunt? qui consules civitatem regunt? Est istud quidem magnum & in luce positum: sed qui temporum iniquitate vetantur studia sua ad rempublicam conferre, etiam cum laude sibi & scientiis honestis vacant. Frequens es in museo cum summis maximisque viris, Julianis, Papinianis, Scævolis, Paulis, Ulpianis, & aliis magno numero; quin & cum ipsis Imperatoribus, dum jurisprudentiam colis, scientiarum humanarum longe præclarissimam. Cum hac semper conjunxisti divinam Theologiam, quæ tibi magnum inspiravit religionis amorem, quem non verbis solum quotidie ostendis, sed etiam factis. Hinc tuæ illæ virtutes, quas multis verbis prædicare non desinam, ubi de te apud

alios erit dicendum: apud te autem ut prædicem non patitur modestia tua, quæ est cæterarum virtutum quasi quoddam condimentum. Ab istis rebus gravioribus quicquid tibi otii superest, nullibi libentius, quam in studiis literariis collocas. His omnibus dum occuparis, PESSERE *Amplissime*, sine, quæso, ut te parumper interpellem. Offero tibi libellum, ut mole ita & prætio exiguum: eo autem animo offero, à quo plerique homines sunt alienissimi. Putant nimirum se sat gratos esse, ubi pro magnis benefactis verba bene multa, & vanam libelli alicujus nuncupationem rependerint. Quin & gratiæ sibi apponi postulant, quando magnorum virorum laudes styli atque ingenii vitio multum detriverunt. Horum factum bonis nunquam placuit. Tibi hoc opusculum inscribo, non ut tuis ergà me præclaris meritis dignas referam gratias; sed potius ut tibi me magis obstringam. Est illud vere juxta ac eleganter à Cicerone scriptum; Cui plurimum debes, ei quoque plurimum te velle debere. Plurimum tibi equidem debeo, quod amici-

tiam, qua semper Parentem meum complexus es, mihi filio non denegas. Unde factum est, ut ultro mihi omnes locupletissimæ tuæ bibliothecæ libros non tantum commodatò obtuleris, sed quosdam etiam commodaveris. Huic istud adjunge, ut libellum tibi dicatum benevolo animo accipias, & adversus obtrectatores, si opus est, defendas: quod te facturum videor mihi posse spondere, postquam ejus specimen, antea tibi visum, calculo tuo approbare dedignatus non es. Vale, PESSERE *Clarissime*, & diu sospes vive. *Gorinchemi ipsis Cal. Novemb.* AN. M. DC. LXXV.

Præfatio ad Lectorem.



NOn ignoras, erudite Lector, *Publium Terentium*, quem familiarem ſuum vocat Cicero, recte olim ſcripſiſſe:

—— —— *In medio omnibus*
Palmam eſſe poſitam, qui tractant artem muſicam.

Hanc nemo ſibi ita propriam fecit, ut aliis ad eam adſpirare non liceat. Commune iſtud ſtadium eſt, commune omnibus certamen. Neque quiſquam ſic feliciter hîc currit, quin alicubi ceſpitet aut impingat. Non raro in quo peccavit doctiſſimus, melius ſe gerit, qui minus eſt doctus; ſed alieno periculo magis cautus. Quid quod ipſe conatus ſi nihil laudis, ſaltem nihil dedecoris adferre poſſit? Eumne pluris æſtimabis, qui nihil faciens in ſupino otio degit, quam qui ſuo labore aliorum nititur parcere laboribus? Non equidem puto. Vivimus Mi Lector hoc ſeculo, quod niſi viri eruditi, quam poſſunt, corrigant, in barbariem præceps abit. Omnium rerum viciſſitudinem eſſe, nullibi magis, quam hîc apparet. Erat olim literis honos, ac Muſis. Jam pene ad contemptum ſufficit, literatum eſſe. Scilicet infra Batavam gravitatem ſunt lepidulæ illæ Muſæ, quibus olim faſces ſuos Romani Conſules, quibus Reges ſua ſubmiſerunt ſceptra. Hæc cauſa eſt, cur literæ intermortuæ jaceant, vel à Belgio noſtro longe migrent. Accedit ferale bellum, quo triennium

jam

jam premimur, omnium, quotquot unquam fuere, gravissimum. Verè dicam cum *Lucano*:

Certatum totis concussi viribus orbis;
In commune nefas.

Quam parum autem Musis cum Marte conveniat, omnia ubique secula testantur. Otium illæ desiderant, & animum serenum: iste turbarum autor est, & mentem non minus, quam corpus exagitat. Quin etiam facultates aufert ac prædatur, sine quibus studia literaria vix constant. Sed quin agimus, *Mi Lector*, & fortia pectora rebus adversis opponimus. In maximis belli atque fortunæ incommodis dulce solamen ex literis capimus. Neque desunt exempla, quæ animos nostros incitent ac inflamment. Vivunt vigentque *Gravius*, *Blancardus*, *Jac. Gronovius*, *Cuperus*, & alii, qui Belgicæ Juventuti docendo & scribendo prælucent. Hos inter merito suo nominandi sunt *Abrahamus Berkelius*, *Thomas Munckerus*, cujus elegantes in *Hyginum* notæ nuper adeò in lucem prodierunt, nec non *Samuel Tennulius*, quem communi φιλομαθῶν nomine rogo obtestorque, ut pergat promissa implendo demereri orbem literatum. Pauci anni sunt, ex quo *Jacobus Geusius* publice in novellis hebdomalibus promisit, multa tum de aliis scientiis, tum re literaria se daturum in lucem; verùm huc usque nihil ab eo vidi præter *Dialogum inter Annam & Cajapham ex orco fugitivos*: de quo quid eruditis sit sentien-

dum,

dum, hodie à me non dicetur. Mihi autem in hanc arenam descendenti prologo galeato utendum est. Multos enim fore prævideo, quorum vitilitigationes effugere non potero. Hisce quid respondendum putem, non celabo; ubi paucis de instituto meo exposuero, & qui factum sit, ut animum ad scribendum appulerim. Non hodie aut heri natum est istud commentandi genus, quo quicquid ad rem literariam illustrandam occurrit; neglecto ordine in certa quædam capita conjicitur. Hinc tot libelli *Variarum Lectionum*, *Miscellaneorum*, Συμμίκτων, *Schediasmatum*, *Adversariorum*, *Animadversorum*, *Antiquarum Lectionum*, & titulis horum similibus insigniti. Quæ de utilitate istiusmodi scriptionis pro se dixerunt pridem alii, eadem cum pro me quoque dicta sint, non est quod repetam. Vel vide *Præf. Angeli Politiani*, quam *Miscellaneis* suis præposuit, qui quidem *Politianus* inter primos fuit, qui scribendi hocce genus, veteribus valde usitatum, ab interitu vindicarunt. Multa in *Variis* traduntur, quæ priscis scriptoribus explicandis plurimum conducunt: quæ eadem non absque tædio ad singulos repetantur. Nam quis, quæso, tandem observandi seu commentandi finis, si quæ scriptoribus antiquis plerisque sunt communia, iis ad singulos repetendis lectorem obtundis ac enecas? Nihil esse utilius potest, quam habere, unde ad quemvis autorem quæ usui sint, depromas. Accedit grata quædam & amabilis varietas, sine qua nihil est tam nitidum,

quod

quod non ſqualeat. Hac ipſa rerum natura vel imprimis gaudet, quæ in tam immenſâ rerum turbâ nihil uſquam reliquit, quod non admirabili quodam varietatis artificio depinxerit. Et ſicuti oculi diverſarum rerum adſpectu magis detinentur: ita ſemper animus circumſpectat, in quod ſe, veluti novum intendat. Cui ſi cuncta ſui ſimilia occurrant undique, tædio protinus avertitur. Iſtud in me ſæpius expertus non dubito, quin & alii experiantur quam plurimi. Certe varietas, ut ait non nemo, faſtidii expultrix, & lectionis eſt irritatrix. Quid me autem ad ſcribendum impulerit, brevi expediam. Cum primum incidiſſemus in luctuoſiſſimum illud cum Gallis bellum, cumque hoſtis, multis potitus oppidis, urbi huic noſtræ quotidie immineret, non me quidem, ut multos alios, Panicus terror invaſit; ſed animus anxia cura confectus, tandem in veternum prolapſus fuit. Non ſoleo facile de re quapiam deſperare, minime verò de re publica; ſed quis neget eam tum fuiſſe Patriæ noſtræ ſortem, ut etiam prudentiſſimi quique, omni ſpe ademptâ, ſtuperent? Deus, Deus eſt, *Mi Lector*, cujus ſolo beneficio auxilioque & ſtamus adhuc, & avitâ libertate fruimur. Cum *Davide* propheta canimus:

Te noſtra ſemper carmina, te lyra
Sonabit, orbis conditor optime,
De faucibus lethi imminentis

In-

Incolumis tibi vota reddam.
Per te superbus nec lacrymis meis
Insultat hostis, nec fruitur malis. &c.

Ego itaque, cum late omnia hostiles copiæ tenerent, nec nugis tempus volebam terere, nec ad seria satis animi habebam. Interim otio torpescebam, quod jure putatur esse omnium laboriosissimum. Aurea sunt *Ennii* verba *Iphigen. Trag.*

Otio qui nescit uti, plus negotii habet;
Quam cum est negotium in negotio.
Nam cui quod agat institutum est, nullo negotio
Id agit: studet ibi, mentem atque animum delectat suum.
Otioso initio animus nescit quid velit.
Hoc idem est, neque domi nos, neque militiæ sumus.
Imus huc, hinc illuc: quum illuc ventum est, ire illinc lubet.
Incerte errat animus: præter propter vitam vivitur.

Quare tandem ad me redibam, & studia intermissa repetebam. Sunt autem tria quibus homini liberali & ingenuo imprimis est studendum. Morum nempe scientia, quâ nosmet ipsos actionesque nostras ad honestum & decorum exigamus: regiminis ἢ τῆς πολιτείας si non exacta, aliqua saltem notitia, quâ doceamur ad clavum Reipubli-

cæ admoti alios regere, vel degentes inter privatos ab aliis regi: denique cognitio literarum, quæ cum nobis ipsis jucunda est, tum aptissimos nos reddit, ad societatem humanam tuendam atque exhilarandam. Hæc causa est cur ii, *qui verba Latina fecerunt, HUMANITATEM appellarunt id propemodum, quod Græci* παιδείαν *vocant; nos* (*Agellium* loquentem audis (*Lib.* XIII. *Cap.* 15.) *eruditionem institutionemque in bonas artes dicimus; quas qui sinceriter cupiunt appetuntque, hi sunt vel maxime humanissimi. Hujus enim scientiæ cura & disciplina ex universis animantibus uni homini data est; idcircoque humanitas appellata est.* Moribus tum meis, tum aliorum, quæ mea est provincia, corrigendis expoliendisque non omninò segniter incumbo: tam diu autem incumbere debebo, quoad me, quantum proficiam, non pœnitebit. Politices tantum scio, quantum satis est, ut magistratui paream. Literas humaniores non penitus à me fuisse neglectas, *Varia* hæc mea ostendunt. De quibus sic ante omnia profiteor, non doctis me istæc aut exercitatis Viris scripsisse; sed adolescentibus, quibus ad studia manuductore opus est. Non dubito fore plerosque, quibus totum hoc leve admodum videatur, & ut nec scriptu, ita nec lectu satis dignum. Sed ut ut est, certe nimis leve videri non debet, sine quo ad graviora non pervenimus. Recte olim à *Demosthene* dictum est *Olynthiacâ* I. I. Ὥσπερ οἰκίας, οἶμαι, καὶ πλοίου, καὶ τῶν ἄλλων τῶν τοιούτων τὰ κάτωθεν

τούτων ἰσχυρότατα εἶναι δεῖ, οὕτω καὶ τῶν πράξεων τὰς ἀρχὰς, καὶ τὰς ὑποθέσεις ἀληθεῖς καὶ δικαίας εἶναι προσήκει. *Sicut, meâ sententiâ, domus, navigii, & aliorum hisce similium infimas partes firmißimas esse oportet; ita etiam convenit ut operum initia ac fundamenta quam maxime vera & justa sint.* Et *Olynth.* III. Πρὶν δὲ τὴν ἀρχὴν ὀρθῶς ὑποθέσθαι, μάταιον ἡγοῦμαι περὶ τῆς τελευτῆς ὁντινοῦν ποιεῖσθαι λόγον. *Nisi recte constituto principio, frustra, opinor, aliquid nobis de fine promittimus.* Nemo autem, nisi hospes in literis, ignorat, omnium artium & scientiarum fundamentum in literarum cognitione esse situm. Abeant igitur, qui queruntur ad omnem se minuciem demittere scriptionem nostram. Hoc mihi *Cæsaris*, *Varronis*, *Messalæ*, *Ciceronis*, aliorumque exemplo facere liceat. Horum æmulari exopto negligentiam potius, quam istorum obscuram diligentiam, qui cum me accusant, non illos tantum Romanos; sed etiam *Politianos*, *Turnebos*, *Pithæos*, *Muretos*, *Brodæos*, *Junios*, *Fabros*; & alios magno numero accusant, quos ego omnes auctores habeo. Non desunt illustria nomina, quibus me defenderem, si auctoritate magis, quam rationibus agere statuissem. Grammaticum, istud omne est, fateor. Sed quid tum? Quod illi maledictum esse vehemens existimant, ego eam laudem puto maximam. Vetus est & verum dictum: Πρὸς τὸ ὀρθῶς διδάσκειν δεῖ πρῶτον ἐξετάζειν τὰ ὀνόματα. *Ut bene doceas, ante omnia inquirere debes in ipsa vocabula. Nos vero*, inquit, *magnus Gronovius de Centes. Usu. Pag.* 80. *cum scribimus*

aut loquimur, ſi præſidiorum grammaticorum piget, quid experimur eum ſermonem, quem non adſequimur ſine Grammatica? cur non potius contenti ſumus lingua, quam ante Grammaticam didicimus? Sed ſic ſolent Sophiſtæ: & , ut Baleares victi pecudum in morem clamore ſublato fugam petiverunt: ſic illis poſtremus hic latratus, quod convellere nequeunt, id eſſe grammaticum. Hoc hominum genus, ſi quid frontis habet, tandem Grammaticæ oblatrare deſinet, ubi intellexerit, quam late ſe illa extendat. Dicam quæ ad hanc rem faciant, non meis, ſed Illuſtriſſimi *Scaligeri* verbis. Sic igitur ille *Epiſt. Pag.* 824. *Tria genera Grammaticorum: alii* τεχνικοὶ *alii* ἱστορικοὶ, *tertium genus* κριτικοὶ *vocantur.* τεχνικοὶ *elementa & primores literas docent. Item partes orationis, ſtructuram verborum & ſimilia. Eos Græci* γραμματιστὰς *potius, quam* γραμματικοὺς: *& Latini literatores, non literatos vocant. Ars autem non Grammatica, ſed literatura. Hiſtorici in fluminum, montium, regionum nominibus occupati ſunt: abſtruſas hiſtorias, aut* μυθολογούμενα, *aut* ποιητικῶς θεολογούμενα *explicant: genealogias Deorum, ac priſcorum Heroum diligenter rimantur. Nobiliores utriſque Critici: nam illi tanquam cenſores quidam & veterum librorum ſenatum legere poſſunt, & non probos tribu movere: quia* παρεγγεγραμμένα, ἐμβολιμαῖα, νοθεύοντα, *& ſimilia deculpare, ut eorum verbo utar, ſolent, & nota culpæ appoſita damnare: neque tantum quæ perperam ab autoribus dicta, ſcripta, pronunciata ſunt,* ἀθετεῖν, ὀβελίζειν; *ſed & aliorum Criticorum te-*

mere

mere scita notare ac castigare, quam κρίσιν ἱκανῶς ἀθετήσεις *vocabant.* Vide porrò eumdem *Scaligerum Iisd. Epist.* Pag. 117. *Vossium aliosque.* Veteres certe late adeò Grammaticen extendunt, ut non una sit scientia; sed scientiarum cinnus. Adi *Quintilianum Inst.* Orat. *Lib.* I. *Cap.* 4. Recte autem *Scaliger*, cum ait in numero Grammaticorum nobilissimos esse Criticos: quamquam sunt, qui putant Criticos differre à Grammaticis: & illos quidem esse similes architectis, Grammaticos verò ministris; ut videre est apud *Sextum Empiricum adv. Mathem. Lib.* I. *Cap.* 7. *& Hieronymum Mercurialem Var. Lect. Lib.* VI. *Cap.* 19. Ejusdem quoque sententiæ est *Gas. Scioppius de Arte Criticâ*, quo quidem in libello plerosque tum Veteres, tum Rencentiores recenset, qui ad suam usque ætatem Criticæ studuerunt. Sic enim apud eum legimus: *Non nihil diversa vel priscis temporibus Critici & Grammatici munera fuisse videntur. Et Grammaticorum quorundam superbiâ, in Grammaticis, Rhetoricis, & Criticis, simul aliis antistare cupientium, factum tandem existimo, ut Critica & ipsa pars Grammatices haberetur.* Criticos autem *Joan. Sangenesius de Parnasso Lib.* II. C. 4. describit hunc in modum: *Magistratus genus est apud Parnassum, quo qui funguntur, plus ipsis Regibus possunt: atque in ipsos Reges habent potestatem. Leges constituunt, causas controversiasque sine provocatione dijudicant; sedes assignant; honores decernunt; notas famæ imponunt; in dicta factaque incredibili severitate inqui-*

runt; rerum pratia æstimant, quid ad unumquemque pertineat, pronuntiant; donant aut adimunt unicuique quod libet. Critici nominantur. Quanta sit criticæ necessitas, sæpe est à Viris doctissimis ostensum. *Cum omnis actio nostra*, inquit Germanorum eruditissimus *Th. Reinesius Epist. ad Nesteros Pag. 66. à scientia, felicitas ab actione pendeat, quo modo si eos auctores prave intelligamus, è quibus scientiam haurimus, (non autem recte intelligemus, si depravatos legimus & incorrectos) scientia nostra solida erit, quomodo actio justa, laudabilis, felix? Ut vero recte percipere possimus mentes præceptorum nostrorum & fundamenta artis, ei rei est Critice, quæ loca à tot seculis depravata, nondumque restituta corrigit, genuinosque sensus, etiam ante obscurissimorum, aperit.* Hoc Julianum non latuit, qui edicto vetuit filios Christianorum Grammaticis, (quos inter familiam ducunt Critici) Poëtis, vel Historicis attendere. Nec tantum sævissimorum Imperatorum persecutiones aut cruenta mandata afflixerunt res pias, quam hoc Juliani jussum. Dicam fidenter, nihil esse neque in sacris, neque prophanis in rebus, quod absque critica rite sciri aut explicari possit. Lege quæso, *Mi Lector, Prolegomena doct. Heinsii in Aristarchum sacrum.* Nolim interim sic cogites, circa literas solum & syllabas Criticam occupari. Audiamus hunc ipsum *Heinsium differt: ad Horatii Judicium de Plauto & Terentio*, his verbis: *Munus veri Critici est, & censoris, non literulam ejicere alibi, aut innocentem syllabam damnare,*

vocem

vocem tollere alibi aut emendare; sed sincere de auctoribus & rebus judicare: quod & solidæ & absolutæ eruditionis est, Quo, ni fallor, omnes adspiramus, neque ulla in re magis antiquitas præivit nobis. Interim non nego, utilissimam operam poni in restituendis auctorum locis, quos librariorum negligentia, aut temporis injuria depravavit. Sed magna est cautio, provisioque adhibenda, ut ne temere hoc fiat aut inconsiderate. Sunt quidam audaculi, qui quidvis statim immutant, & optimum quodque, quod non intelligunt, fædum in modum corrumpunt. Quippe tantum sibi juris in autores quosvis sumunt, quantum ab aliquibus in Ciceronem sumi *Henr. Stephanus Præf. in Castig. Ciceronis* his verbis testatur: *Ciceronitribæ quum sese Ciceronis non familiares tantum, sed veluti domesticos esse sibi persuasum habeant, tantum sibi juris in ejus scripta postulant, vel arrogant potius, ut in iis quæcunque libet & quoties libet, figere ac refigere prorsus sibi licere existiment. Adeo ut non jam Ciceronicolarum sermo ex Ciceroniano; sed ex Ciceronicolarum sermone æstimandus illis Ciceronianus videatur.* Minimum hîc ingenio, aut conjecturis est tribuendum, nisi eæ claræ, liquidæ, certæ sint. Vide quæ ex variis citant *Scioppius de Arte Critica, & Joan. Philip. Paræus Proleg. in Plautum, imprimis elegantissimam Lipsii Satyram Menippæam.* Insigne temeritatis exemplum in *Tanaquillo Fabro*, notatum habes *dans le journal des Sçavans de l'An 1666. Pag. 250. & 395.* Certò constat non

edax ævum, non barbarorum incursiones æque scriptoribus nocuisse, quam quorundam quidvis arrodentium, plus quam juvenilem audaciam. Sine melioribus libris ad emendationem auctorum accedere, hoc est, sine navigio mare magnum velle transmittere. Ridere libet, quotiescunque audio, qui clamore summo, cum labore maximo figmenta sua pro veris correctionibus eructant. Si verbum inveniunt suo judicio non satis sanum, aliud ei substituunt, sive sono, sive significatu vicinum. Atque sic quidem multa verba perdidimus. Vellem ut isti homines ad animum revocarent monitum *Vincentii Contareni de frum. Romanorum Largit.* P. 34. *Sic igitur*, inquit, *statuo, esse emendandi genus vetustis auctoribus admodum perniciosum, quo tollitur verbum cujus multæ esse notiones possunt, & supponitur alterum, cujus vis pertinet ad pauciora. Quod si id eo consilio fiat, ut unum tantum significet, ferendum non esse, ne si constet quidem, id ipsum scriptorem dicere.* Est illud quoque nimis quam multis solemne, ut præ probis & usitatis verbis casca quædam, & jam inde ab Euandro petita eligant, substituantque, magnum operæ pretium fecisse rati, si se ἀρχαίως esse aliis probaverint. Hæc tamen eos non tangunt, qui perspecto cujusque scriptoris genio, multa sæpe feliciter, etiam absque ope Manuscriptorum ex ingenio suo restituunt. Horum ego operam cum scriptoribus ipsis salutarem, tum literas discentibus valde utilem esse judico: id modo caveant, ne suas conjectu-

jecturas, tamquam κυρίας δόξας, nobis obtrudant. Verùm longe maxima pars studii Critici posita est in iis explicandis, quæ in priscis monumentis sunt obscuriora. Cum autem obscuritatis variæ caussæ esse possint, eas omnes, quantum in se est, Criticus investigabit. Nimium quantum huic rei conducit tum aliarum rerum, tum rituum antiquorum exacta cognitio. Istam Criticæ partem qui utilissimam esse non videt, næ ille nihil videt. Interim opera danda est ne in nos conveniat hæc *Hermolai Barbari* querrela apud *Cunæum Satyræ Manipp. Pag.* 76. *De cæteris*, inquit, *qui in literarum amœnitatibus animum habent, supervacuum est dicere. Magna enim hic diversitas insanientium, & mira occurrit dissimilitudo: cujus latentem causam scit Genius fortassis, qui astrum cujusque temperat; hominem quidem scire; arbitror neminem. Quidam arcem extruunt ex cloacâ, aut pistillum exornant. Alii lucem Soli fœnerant, & observatiunculam unam item atque alteram ostentant notissimarum rerum, quas profecto nemo nesciverat, etiam priusquam Theognis nasceretur. Longe ego Augiæ stabulum purgare maluerim, quam omne stercus ex libris eorum everrere.* Nec minus est illud inter eos, qui Critici audire cupiunt, vulgatum, sic suas tueri partes, ut alienas oppugnent, ac laudis occasionem plerumque de aliorum erratis petant. Tum sæpe a tenuioribus & gregariis, velutique postremæ notæ, qualis ego & Cluvienus, etiam proceres & ante-signani (ut ita dixerim) literarum sugillantur. Qui post alios scri-

 bunt,

bunt, id sibi negotii credunt solum dari, ut priores carpant, & ex aliorum incommodis sua ut comparent commoda. Quasi hoc demum sit Critici, vitia aliorum in lucem proferre: in quo quam non veritatis sæpe, sed partium studio ducantur, reipsâ ostendunt. Facetum est quod fictum legimus apud ingeniosissimum *Trajanum Boccalium Relation: Parnassi Cap: C.* Narrat ibi, quo pacto Criticus aliquis, sive potius Sophista, ad Apollinem accesserit, ei offerens omnia vitia, quæ magnâ cum curâ ex quodam poëmate excerpserat. Credebat se rem fecisse Apollini admodum gratam: quâ spe suâ non tantum excidit; sed supplicii loco hoc jussum à Deo accepit, ut sumpto à Columella frumenti modio, omnem inde pulverem colligeret manu suâ, absque ventilabro, aut incerniculo. Non in hunc sophistarum censum; sed in alium, non magis honestum locum referendi sunt, qui alienis plumis se vestiunt, & aliena pro suis venditant. Crede mihi; imo crede auribus, crede oculis tuis, *erudite Lector:* nullum seculum hocce nostro plagiariorum fuit feracius. Idem habes, centies repetitum, verbis tantum leviter immutatis. Atque ferendum id quidem esset, nisi desimularent autores, per quos profecissent. Contrariam plane viam insistebant multi Patres, in quorum numero est *Hieronymus*, qui cum plurima aliunde in scripta sua transferrent, nihil pro suo agnoscebant, quod ullibi apud alium exstaret. Transferebant autem non ex orthodoxis tantum

au-

auctoribus, sed sæpe ex suspectis, infamiâque apud ecclesiam laborantibus, ac ita, nullo discrimine, suis intermiscebant, ut quis sit Patris cujusque genuinus sensus, certò sciri omninò non possit. *Si quid igitur*, scribit *Hieronymus quâdam ad Augustinnm Epistolâ, reprehensione dignum putaveras in explanatione nostra, eruditionis tuæ fuerat quærere utrum ea quæ scripsimus habeantur in Græcis, ut si illi non dixissent; tunc meam proprie sententiam condemnares.* Vide Doct. *Dallæum de vero usu Patrum. Cap.* VI. Ad me quod attinet, non nego pleraque in hanc scriptionem meam aliunde esse translata; sed expressis semper nominibus eorum, unde mutuati sumus. Hoc satis à plagii suspicione me vindicat. Fieri etiam potest, ut nihil hic nostrum sit; adeò parum sæpe distinguimus, quæ mentis ac memoriæ humanæ est imbecillitas, inter ea, quæ ipsi invenimus, quæque ab aliis legendo accepimus. Ita res ipsæ animo inhærent, elapsis modis, quibus ad illarum cognitionem perrenimus. Vel si quid nostrum est, idem tamen apud alios reperias, & elegantius forsitan, aut copiosius. Quippe nullum est jam dictum, quod non sit dictum prius. Sed roget aliquis, cur chartæ itaque non parcis? cur cramben totius recoctam rursus apponis? Notum est, quid simili occasione responderit *Augustinus*, scilicet *utile esse plures libros a pluribus fieri diverso stylo, non diversa fide, etiam de quæstionibus iisdem, ut ad plurimos res ipsa perveniat, ad alios sic, ad alios autem*

 sic.

sic. Audi etiam, quæ Doct: *Acontius Epist: ad Joan: Wolfium de rat: edend: Librorum* scribit hunc in modum: *In occasionibus etiam multum admodum est positum. Sit enim locus aliquis pertrectatus quidem jam optime: sed non sit ex iis, quos maxime oportebat, qui legat: sit autem spes novo aliquo scripto ad lectionem alliciendi: me authore etiam minus bono scripto id tentaveris, non modo sine reprehensione justa, sed etiam cum laude aliqua: neque enim vere dici possis actum agere,* Unde patet, hunc scribendi modum non esse fraudi primis scriptoribus; sed pertinere potius ad eorum commendationem. Neque aliud mihi æque propositum fuit in opusculo meo, quam docilem juventutem deducere ad optimos scriptores, quos neglectos jacere meritò semper ægre tulimus. Negligentiæ istius duplicem potissimum causam invenio: studiosorum nempe incuriam atque socordiam, præceptorum autem invidiam ac odium, qui quò magis sapere videantur, optimos libros non rarò discipulos celant. Verum quidem est refelli a nobis, quos communis literatorum consensus dudum locavit inter doctissimos. Sed paucis in locis, & nunquam, nisi veritas, cujus ratio ubique habenda est, id postularet. Ut ille, qui canino dente quævis errata arrodit, ipsam rerum naturam accusare velle videtur, quæ neminem mortalium omni errore liberavit: ita qui de industriâ errores desimulat, injurius est in veritatem. Quanto autem est majore auctoritate, qui labitur, tanto facilius alios

eo-

eòdem abstrahit. Interim magnorum Virorum lapsus leviter potius detegendi, quam multis verbis sunt exaggerandi. Si literarum Proceres graviter a nobis vapulant, quid nobis exspectandum, nisi ut flagellis cædamur usque ad necem? Hæc pœna est servorum, qui manibus pedibusque obnixe omnia nituntur, heris suis ut incommodent. Ne quid ejusmodi de me dici possit, sedulo, ni fallor, cavi, Dicam cum *Terentio:*

Si quisquam est, qui placere se studeat bonis
Quam plurimis, & minime multos lædere;

in his ego nomen profiteor meum. At videar fortasse scriptoribus nocuisse, quod excerpta ex iis dederim. Utrum illi, qui auctores in epitomas redegerunt, breviaria confecerunt, aut centones consarcinarunt: reipublicæ literariæ profuerint magis, an obfuerint, non uno loco à Viris eruditis est disputatum. Vide inter alios *Casaubonum Præf. in Polybium Pag.* 17. *nuperæ editionis in* 8°. *& initio Animad. ad Athenæum, Salmasium Præf. in Ampelium, Reinesium Epist. ad Rupertum Pag.* 410. Facile adducor, ut credam vix ipsam barbariem majorem cladem intulisse rei literariæ, quam genus hoc hominum, qui præstantissimorum ingeniorum monumenta coëgerunt in epitomas, ut suorum temporum inertiæ lenocinarentur. Verum hoc istos non tangit, qui utilia quædam & maxime laudabilia (χρεῖα & χίσιμα Græci Critici appel-

lant)

lant) vel in proprium usum describunt, vel studiosæ juventutis commodo in publicum exire patiuntur; non ut illa pro ipsis auctoribus legantur, sed ut hinc appareat, quanta sit in ipsis monumentis utilitas. Et ego quidem *Lectorem* meum rogo, ut accedat ad fontes ipsos, unde quosdam rivulos deduximus. At facile, & cujusvis est excerpta facere. Verum est, & fateor, ô boni: neque mihi quicquam supra quemvis arrogo. Satis erit, si pro laude mihi venia detur, quam ipsam vereor ut a non nullis consequar. Nam multi nimio novitatis studio ducti hæc nostra statim condemnabunt, in quibus videbunt non nova esse omnia, quæ dicuntur. Scilicet falsa dixisse videri malunt, ut ab aliis dissentiant. Alii his prorsus contrarii, si quid invenient novi id omne statim rejicient, quasi semper sint meliora, quæ sunt magis antiqua. Isti velim ut *Quinctilianum* audiant *Lib.* x. *C.* 2. sic loquentem: *Cur igitur nefas est reperiri aliquid a nobis, quod ante non fuerit? An illi rudes sola mentis natura ducti sunt in hoc ut tam multa generarent, nos ad quærendum non eo ipso concitemur, quod certe scimus invenisse eos, qui quæsierunt?* Et paucis interjectis: *Ac si omnia percenseas, nulla sit ars, qualis inventa est, nec intra initium stetit: nisi forsitan nostra potissimum tempora damnamus hujus infelicitatis, ut nunc demum nihil crescat. Nihil enim crescit sola imitatione.* Eleganter sane, ut solet, *Horatius*:

Si

Si meliora dies, ut vina, poemata reddit,
Scire velim, pretium chartis quotus arroget annus. &c.

Hunc, quæso, vide *Epist.* I. *Lib.* II. *nec non Plinium Lib.* I. *Epist.* 16. Neque etiam deerunt, qui me prolixiorem fuisse contendent; dum aliis videbor fuisse justo brevior. Utrisque, nisi pervicaces esse velit, unâ responsione satisfaciam. Dum inexercitatis adolescentulis scribo, quædam addenda fuerunt viris quidem eruditis notissima; sed quæ illi noscere non poterant, maxime quod scriptoribus, unde ista hauriuntur, destituantur. Quare indicanda hæc mihi fuerunt; non tamen omninò absolvenda, quia qui penitus scire cupiunt, ad ipsos scriptores ablego. Atque hoc mihi comprimis propositum habui, ut per me nosceret studiosa juventus, quos potissimum auctores legere necesse habeat. Proin vitio mihi verti non potest, quod opusculum meum multis scatet citationibus, quæ huic scriptionis generi prope sunt necessariæ. Maxime mihi semper institutum eorum displicuit, qui nullam sententiam exire patiuntur, nisi aliorum autoritate munitam. Quæ per se sciunt pueri, & qui nondum ære lavantur, tamen fidem habitura non putant, nisi Doctorum Virorum testimoniis probent. Vel si dicant virtutem rebus omnibus esse anteponendam, id nisi verbis alienis efferre non audent. Qui sic memoriæ aliquam laudem aucupantur, vereor ne omne judicium

cium amisisse videri queant. Quamquam nec à memoria eos laudabit, qui ignarus non est, quibus ad istam rem subsidiis utantur. Fit tamen non rarò ut aliorum testimonia verbaque nobis sint adducenda, maxime cum de rebus aut ritibus priscorum disputatio incidit. Quæ autem de eis quæri solent, duorum potissimum sunt generum. Inquirunt enim utrum ea fuerint, nec ne: tum etiam honestane fuerint, an turpia, & quid eorum honestius, utiliusve. Hoc cum in deliberationem cadit, solis rationibus est decidendum: illud aliunde, quam ex testimoniis ostendi non potest. Quoties igitur quid ad facti quæstionem pertinet, & de eo sermo instituitur, omnis probatio ex citationibus erit desumenda. Est porrò, cum iis carere non possis; sæpe enim illis de rebus est dicendum, quibus fidem non habebunt, nisi a viris magni nominis ante nos dictas approbatasque esse constet. Adeò auctoritas plus apud multos valet, quam ipsa divina veritas. Servum esse pecus malumus, & in verba magistri jurare, quam propriis oculis rectum secernere

—— —— —— Ubi inter
Curva subit, vel cum fallit pede regula varo.

Accidit etiam, ut quid ab aliis ita bene & eleganter dictum occurrat, ut melius a nobis elegantiusve non possit. Quin sæpe aliorum elegantiam & sermonis majestatem viribus nostris non adæqua-

qua-

quamus. Qua quidem occasione, illorum potius, quam nostris verbis uti, non erit indecorum. Verum enim vero illud imprimis est cavendum, ne ejusmodi auctores citemus, quos ipsi aut vidimus nunquam, aut certe non legimus. Magna mihi est copia memorandi scriptores, qui ipsa monumenta, quæ citant, inspicere nihil quicquam ad se putant pertinere. Quæ ab aliis vident allegata, ea itidem allegant; quam rem quæ incommoda sequantur, non est hic explicandi locus. Novi hominem, cætera non ineruditum, qui cum eum super auctore mihi incognito quem citaverat, rogassem, post multas tergiversationes fateri necesse habuit, nescire se utrum ille fuisset albus, an ater homo. Clarissimi *Grotii* fidem interponere, satis magnum sibi præsidium putavit. Pejus est Galli cujusdam facinus, qui profitebatur se centones quosdam ex *Seneca* & *Tacito* confecisse, cum tamen nesciret, quo illi sermone, Græco an Latino scripsissent. *Voiez le Parnasse Reformé Pag.* 51. De me hoc habeo affirmare, nullum a me esse adductum auctorem, quem non prius ipse consuluerim. Nefas esse credidi alienis oculis fidere, cum mihi proprios ipsa natura dedisset. Bis terve tantum secus facere coactus fui, quando ipsa monumenta mihi perlustrare non licuit. Græcis, quæ aliquoties fuerunt citanda, versionem Latinam adjunxi: hoc pacto rudioribus comsulendum esse ducens qui sine cortice non natant. Expertus sum non semel, quæ ex Græcis citantur

omnino

omnino non legi, nisi sint in Linguam Latinam traslata; imo ne legi quidem posse ab iis, qui utilissimam linguam turpiter negligunt. Usi autem sumus ea versione, quæ plerumque auctori cuique Græco addi solet. Si verò illa quandoque obscurior nobis esse videretur, aut minus fidelis, interpolare eam vel etiam immutare non dubitavimus. Non nunquam proprio Marte quædam trastulimus, quorum ab aliis facta versio nobis ad manum non esset. Facerem jam præfandi finem, nisi scirem mihi negotium fore cum genere hominum, qui esse primos se omnium rerum volunt, nec sunt tamen. Intelligis, *erudite Lector*, quos velim: nempe Theologastros quosdam, qui ægre ferent me hominem sacris initiatum hisce nugis, ut illi ajunt, tempus perdere. Ipsi quippe sapientiam velut aliquod artificium venale addiscunt, & jam semidocti cruda adhuc studia, propellunt in templa. Verè eruditi esse neque ipsi volunt, neque aliis, ut sint permittunt. Plurimum mihi semper placuerunt *Castellionis* verba, quæ exstant *Epist. Nuncupatoriâ, quam Psalmorum libro à se converso præposuit.* Sic autem sese habent: *Ut enim nihil in sacris literis voluit esse Deus, quod non ad ipsum colendum pertineat, sic nihil non esse quod pertineat: ne forte credamus, eum qui sit perfectus, mutilâ nos mancâque instruxisse disciplinâ. Neque tamen hæc dico, quo profanarum literarum usum antiquandum esse censeam: nam si quis ab illis rerum naturam, aut etiam populorum res gestas discit, ut inde eorum auctorem*

torem rectoremque Deum prædicet atque colat: is, meo judicio, rite facit, neque tam in profanis videtur, quam in sacris versari; quoniam sic illa tractet, ut his ancillentur, non imperent. Quæ ad fidem Christianam, & mores Christianis hominibus dignos pertinent, ea satis ex sacrorum librorum lectione omnes, quamquam indocti, discant hauriantque. Nihilominus tamen plurima apud sacros auctores occurrunt, quæ nisi ope linguarum Græcæ atque Hebrææ, & cognitione historiarum ac rituum priscorum bene intelligi vel explicari non possint. Testes mihi fuerint multæ Sacræ Srcipturæ interpretationes perquam ineptæ, quæ aliunde originem non ducunt, quam ex merâ literarum humaniorum ignorantiâ. Ipse affirmare non dubitabo, nullum unquam magnum perfectumque Theologum extitisse, qui scientiis ac disciplinis honestis non fuerit excultus. Non ibo per omnia exempla, quod magni & infiniti esset operis: sed videant mihi, quæso, *Originem, Clementem, Alexandrinum, Lactantium, Augustinum*, videant ipsum gentium Apostolum, quem satis constat non tantum in patriis disciplinis; verum etiam in ethnicorum libris fuisse versatum. Quis neget nos tutius horum exemplum imitari, quam illorum supinam ignorantiam, cum intolerabili quodam fastu conjunctam?

Ἄνθρωποι κενῆς οἰήσεως ἔμπλεοι ἀσκοί.

Homines sicut utres vento, ita vanâ opinione inflati. Possemus hos securè contemnere, si propter ipsorum in sacras literas interpretando inscitiam, apud eruditos non male audirent conciones sacræ. Utinam scenicum in morem gesticulari, & aliorum homilias pro suis recitare contenti, sua assuendo omnia non corrumperent. Utinam otio & desidiâ suâ ad nequitiam non abuterentur! Utinam denique nobis ac bonis omnibus molesti, atque ordinis nostri vomicæ & carcinomata esse desinerent! Istud tunc demum sperare poterimus, cum ad saniorem mentem redibit parvus ille doctiorum quidem, sed nihilo meliorum hominum cætus,

Qui pecori imperitat, quem tota armenta sequuntur.

Interim nemo bonus negabit, theologiam optime tractari ab iis, qui sacris studiis studia literaria intermiscent. Ipse otium, quod à gravioribus & magis necessariis rebus mihi impetro, literis pergam impendere: tam diu autem pergere debebo, quoad me, quantum inde ad ipsam theologiam capiam ornamenti, non pœnitebit. Qui aliter statuunt, sibi sapiant, mihi molesti ne sint.

Dehinc ut quiescant, porro moneo, & desinant
Maledicere, malefacta ne noscant sua.

Habeo alia multa, quæ proferentur post, si pergent lædere ita, ut facere instituunt. Nam ita fere natura

turâ comparatum eſt, ut qui ingenuas artes negligunt, moribus etiam ſint parum probatis. Plura de hujuſcemodi hominibus dabit *Ecſtaſis* noſtrâ, quam Satyram dudum animo conceptam cauſa non eſt, quia perituræ chartæ comittamus. Sunt alii, quos tormentum urget; quo Siculi tyranni majus non invenere. Hi cum literaturam in aliis piaculum eſſe ducant, ſibi nimium in ea placent: nam pauca ejus, quæ ſciunt, ubique oſtentare, & verba eructare Latina vel apud vulgus, & in ſermone quotidiano non deſinunt. Sed tamen fatendum eſt, peccare eos qui cum ſacris ſint initiati, ſolummodo ad iſtæc leviora animum applicant. Hæc inſtar luſus eſſe debent, quem ego ſemper exiſtimavi ἄνεσιν τι εἶναι τῆς ψυχῆς, καὶ ἀνάπαυσιν τῶν φροντίδων, *nihil eſſe aliud, quam animi remiſſionem & curarum requiem:* Verum illi optime facere cenſendi ſunt, qui aliquid daturi in lucem, a levioribus initium ſumunt. Quare cum ſtatuiſſem aliquid hoc tempore ſcribere, & non nulla poſthac, ab eo exordiri volui maxime, quod & adoleſcentiæ meæ eſſet aptiſſimum; & minus in ſe periculi haberet. Priuſquam ad theologica quædam tractanda accederem, viſum eſt experiri in re profana, quam non luſiſſem operam in utriuſque linguæ ſtudium inſumptam. Idem ante me factitarunt viri doctiſſimi, quos inter eſt *Eraſmus*; qui cum animum induxiſſet vertendis Græcis auctoribus rem theologicam pro virili vel reſtituere vel adjuvare, ne ſtatim, ut ipſe ait, juxta Græcorum adagionem ἐν τῷ πίθῳ τὴν κεραμείαν

 pe-

periclitari videretur, & ad tantum munus illotis pedibus irrumpere, multa prius ex *Luciano*, *Euripide*, aliisque ethnicis ſcriptoribus tranſtulit. Notum eſt, *Georgium Paſorem*, cum meditaretur *Indicem in* N. *Teſtamentum*, quid in re ſimili poſſet periculum in *Heſiodo* facere voluiſſe πρὶν ἢ ἅψασθαι τῶν ἱερῶν, *antequam ſacra attingeret*. Ad te redeo, *Mi Lector*, cui hæc mea forſitan non ſatis digna videbuntur, ut in lucem prodeant. Sed in memoriam te venire jubeo ejus, quod a *Plinio* dictum accepimus: *Nullum eſſe librum tam malum, ut non aliqua parte prodeſſet.* Ut nihil eſt in orbe terrarum omni ex parte beatum; ita quoque nihil eſt, in quo non aliquid appareat boni. Nam vel ipſa materies bona eſt, quando omnia, quæ de ea ſcribuntur, mala eſſe non poſſunt; vel ſi malam defendimus, neceſſe eſt ut ad eam defendendam quædam ſint excogitata ſubtilius. Poſſes de libris dicere, quod de hominibus dictum eſt ab *Horatio Saty*. III. *Libr*. I.

—— *Vitiis nemo ſine naſcitur, optimus ille eſt,*
Qui minimis urgetur.

Mihi certe accidit non ſemel, ut ex malo libro fructum retulerim nequaquam pœnitendum. Verum cuicuimodi ſint hæc mea, ſi quid à me peccatum eſt, culpam non deprecor. Qui meliora monuerit, is erit mihi ſemper inter chariſſimos; modo ita moneat, ut ſe hominem eſſe, & poſſe er-

errare meminerit. Quin imo (ut elegantiſſima *Politiani* verba faciam mea) *decernatur potius in nos, traducamur, vexemur, quam non literarum publica fraus, quarum nobis eſt honor publicis utilitatibus antiquior, etiam noſtro aliquo, vel famæ vel otii diſpendio redimatur. Nam quo iſta, quæſo, ſtudiorum communium profeſſio, ſi jam ventum ad hæc uſque eſt, ut quod officium ſtudiis univerſi debemus, ceſſare omne tamen ſuſpicione degeneri patiamur? Quo pacto vel durare ultra, vel eſſe jam poterit honeſtarum artium ſinceritas, ſolutâ penitus cenſurâ, dum ſic æque omnes invidiam perhorreſcimus? Quamquam (quod ad me attinet) utinam labori meo non contemptus potius, quam invidia debeatur.* Bene *Agamemnon Homericus*, qui cum ſuam protuliſſet ſententiam, hoc præclarum addidit, gratum ſibi fore, ſi quis ſenex, aut juvenis meliora ſuaſiſſet. Mihi autem veniam ſpero faciliorem, quod nondum judicium ad magna maturuit. Uſus ſum *Fabii* conſilio *Inſt. Orat. Lib.* XII. *Cap.* 6. hoc pacto monentis: *Nec rurſus differendum eſt tyrocinium in juventutem. Nam quotidie metus creſcit, majuſque fit ſemper, quod auſuri ſumus, & dum deliberamus quando incipiendum ſit, incipere jam ſerum eſt. Quare fructum ſtudiorum viridem & adhuc dulcem promi decet, dum & venia & ſpes eſt, & paratus favor, & audere non dedecet: & ſi quid deſit operi, ſupplet ætas: & ſi qua ſunt dicta juveniliter, pro indole accipiuntur.* Hoc ſaltem multo eſt melius, quam ita ſemper in aliorum ſcriptis reprehendendis occupari, ut ne

in ſenectute quidem aliquid evulgare ipſe audeas. Utri melius de re literaria mereantur, de eo, *benevoli Lectores*, veſtrum judicium veſtra exiſtimatio valebit. Novi homines, quibus omnia aliena ſordent, dum ipſi labantes diſciplinas fulcire vel non poſſunt, vel certe non volunt. Hos nihil moror; nam ita aſſuefacti ſunt, ut nihil bonum putant, niſi quod ipſi fecerint. Homines digni odio, in quos convenit illud Græcum:

Ἄλλων ἰατρὸς αὐτὸς ἕλκεσι βρύων.

Aliorum medicus, ipſe ulceribus ſcatens.

Nolim tamen hoc ita à me dictum quiſpiam interpretetur, quaſi ſtatim eorum, quæ conſcripſimus editio ſit præcipitanda. Quid *Horatius* & *Quictilianus* ſuaſerint ſatis ſcio, quorum ille jubet editionem nonum premi in annum, hic ſtatuit optimum eſſe emendandi genus, ſi ſcripta in aliquod tempus reponantur, ut ad ea poſt intervallum velut nova atque aliena redeamus, ne nobis ſcripta noſtra tamquam recentes fœtus blandiantur. Sed eſt interim de omnibus ingeniis non eodem modo judicandum. Sunt quædam, quæ tardius & difficilius res apprehendunt; ſed quia labori ſunt aſſueta, magis ſua expoliunt. His auctoribus perfectiſſima opera edi, nullum eſſe dubium poteſt. Exiſtunt rurſus alia magis prompta, quæ quantumcunque poſſunt, id prima quaque ſcriptione aſſequuntur. Hæc quo magis expolire deinde opus conantur, eo ru-

rudius reddunt: ut dicere possis horum limam opus facere mallei, malleumque limæ. Ego me naturâ posterioribus esse propiorem libens fateor, ideoque scriptionibus minus aptum. Sed quid facias? ut homo est, ita morem geras. Dabitur tamen à me opera, ut si quid imposterum à me est proditurum, de re præsertim graviore, id limatum magis sit atque correctum. Est quoque hic modus quidam tenendus, de quo exstat sapiens *Acontii Ernst. ad Wolfium de rat. edend. librorum* monitum: *Ut enim faciendum non est*, inquit, *ut edas, quæ si limam adhibueris, politiora possis reddere: ita neque premenda nimis diu sunt, quæ & aliis fructum, & tibi laudem possint parere. Ac tametsi facilius multo eam in partem peccatur, ut nimis facile ac repente sibi placeant: esse tamen in partem contrariam, si nunquam tibi placeas, peccato locum, vel ex eo cognoscere licet; quod si majores nostri nimium verecundi, cautique esse voluissent, nulla nobis monumenta sua reliquissent industriæ. Itaque nos pro tam culto seculo, rude, agreste, ac rerum omnium ignarum haberemus.* Cum hoc bene convenit illi, quem aliquoties citavimus. *Fabio Quinctiliano*, quem vide *Inst. Orat. Lib. X. Cap.* 3. & 4. ubi inter alia hæc verba usurpat: *Sunt qui ad omnia scripta, tamquam vitiosa rodeant, & quasi nihil fas sit rectum esse, quod primum est, melius esse existiment quicquid est aliud: idque faciant quoties librum in manus resumpserint, similes medicis etiam integra secantibus. Accidit itaque ut cicatricosa sint, & exanguia & curâ pejora.* Sic tandem de me

habe, ex illorum me esse numero, qui proficiendo scribunt, & scribendo proficiunt. De stylo autem, quo in scribendo usus sum, pauca habeo quæ dicam. Multi sunt tam rigidâ censurâ homines, ut nihil recte scriptum credant quod vel paululum à suo stylo est diversum. Quasi infinita non sint bene scribendi dicendique genera. Quod intelligi etiam ex ipsis oratoribus potest, qui tantum inter se distant, ut nemo sit alteri similis: quamvis plurimi se ad eorum, quos probabant, imitationem composuerint. Hîc quisque maxime ingenii sui naturam, viresque perpendere debet, quod sæpe est à *Cicerone* præceptum. Nam quædam sunt inimitabilia, quibus aut infirmitas naturæ non sufficiat, aut diversitas repugnet. Quis igitur illos ferat, qui teretes suas aures tantum consulendas esse dicunt, & si qua sunt, quæ parum judicio earum probentur, in iis non satis Ciceronianum esse ipsum *Ciceronem* clamitant. *In aliis est,* (ut *H. Stephanus* ait *Præf. Castig. in quædam loca Ciceronis*) *huic diversum vitio vitium prope majus. Sunt enim tanta (ut ita dicam) superstitione, in colendo Ciceronis numine imbuti, ut quæcumque apud eum reperiunt (quæ enim ex crasso ebrii librarii, aut dormitantis typographi errore sunt profecta, à sinceris, ut sunt acri præditi judicio, discernere non possunt) tamquam vere Ciceroniana amplexentur, suspiciant & admirentur, revereantur & adorent. Imò verò sæpe accidit ut corruptissima quæque pre sincerissimis habeant, in iis usurpandis sibi maxime placeant, & se tum demum Ciceronis germanissimos*

nissimos esse, magno cum fastu prædicent. Hoc idem est, quasi si ipsâ pulchritudine spreta, solos nævos diligas. Istorum nunquam mihi institutum placuit. Nimirum non intelligunt, quid sit, quibusve in rebus sit positum id, quod tantopere expetunt, Ciceronis more loqui. Sed ea de re non est hic agendi locus. Stylus in hoc opusculo meo occurrit varius, & scriptorum citationibus hians: dum

Ornari res ipsa negat, contenta doceri.

Neque illud vehemens dicendi genus, quod est oratoris proprium, neque hoc alterum æquabile, & temperatum, quo in dissertatione, aut narratione utimur, usurpare vel potui vel debui. Suffecerit vitasse barbara & solæca, quæ sunt in quavis scriptione fugienda. Postquam autem scribendi feceram finem, multa in mentem venere mihi, quæ adderentur fortasse non indigna; sed nolui ea in calce subjicere. Sciebam enim quanta cum molestia inde in ipsum opus transferantur: quæ causa est cur multi ne legere quidem malint. Poterimus istorum mentionem facere, si quando & altera pars in lucem prodeat. Nihil jam amplius restat, *Erudite Lector*, nisi rogare te, ut hæc nostra æqui bonique consulas. Esto hoc Catone contentus, & his mecum utere, donec ipse meliora impartias. Tibi

Τόσσα θεὸς δοίη, ὅσσα φρεσὶ σῇσι μενοινᾷς,
Ζῶντί τε καὶ φθιμένῳ τὴν εὐδαιμονίαν.

Omnia ista det Deus, quæ animo concupiscis tuo:
Vivo mortuoque summam felicitatem. Vale.

CAP. I.

CAP. II.

CAP. III.

CAP. IV.

CAP. V.

Leæna. Flora non fuit meretrix. Rosinus notatus. Liberi cultus valde obscænus. Meretrices floridis vestibus indutæ. Artemidorus explicatus. Vestes meretricum pellucidæ. Ausonio lux. Martialis explicatus. Cestus. Ronsardus notatus. Plinius explicatus. pag. 90

CAP. XI.

Arabica lingua omnium locupletissima. Hebraica olim, quam hodie, multo copiosior. Chinensium lingua pauperrima. Vocis interpretis tres significationes maxime vulgares. Galli omnes antiquos scriptores sua lingua conversos legunt: nos Belgæ non item. De Belgica Taciti versione ab Hoofdio facta. Triplex interpretandi, id est, auctores convertendi genus. Interpretatio, quâ verbum verbo redditur. Interpretatio, quæ sensum potius appendit, quam verba adnumerat. Gronovius notatus. A verbis non temere recedendum. Horatius explicatus. Duo in interpretatione præcipue tenenda. De Herodiani versione a Politiano facta, deque ipso Politiano. Ruffinus qualis interpres. In sacris libris vertendis maxima etiam circa verba cautio adhibenda. Illi suâ eloquentiâ non carent. Impium Petri Bembi dictum. In versione Græca Veteris Testamenti τῶν Septuaginta, & ipso Novo Testamento plurimi Hebraismi. Multi ex Philosophis Ethnicis a Judæis & Sacris Bibliis plurima edocti, & Plato ante omnes. Virgilius, Horatiusque explicati. Anglorum de versione Tremelli at Junii judicium. In sacris vertendis non nimis elegantiis Linguæ Latinæ studendum. Castellio notatus. De tertio genere Interpretationis, quæ paraphrasis dicitur. Interpretatio, quæ poëtarum orato-

CAP.

CAP. XVIII.

CAP. XIX.

CAP.

CAP. XX.

SYLLABUS

Auctorum Veterum & Recentiorum,

QUI

Emendantur, illustrantur, aut notantur.

VARIARUM LECTIONUM LIBER.

Cap. I.

De Belisario, & Justiniano. Berneggerus notatus.

Ingemiscere solemus, quotiescunque Belisarii fortunam recolimus, quem & gratiâ apud Justinianum & oculis ejus jussu privatum ostiatim obolum collegisse dudum est, quod multis persuadeatur. Verùm evenit hîc, quod in tragicis historiis ferme solet, ut multa affingerentur, quæ quidem ad miserias exagerandas faciunt; sed præter historiam aberrant. Istud quidem diffiteri neque possumus neque volumus Belisarium Justiniani gratiâ excidisse; ast eum effossis oculis mendicasse plane negamus. Negarunt id quoque ante nos alii, Viri doctrinâ & Historiarum cognitione præstantissimi, inter quos Alciatum Alcmannum, & Berneggerum nomino. Illum quidem in *Parergis*, istum in *Notis ad Historiam Arcanam Procopii*, hunc vero in *Observationibus Historico-*

 Poli-

Politicis. Et qui, quæso, hoc verum esse queat, cum Procopius, qui Justiniani & Belisarii coævus, utriusque historiam eleganti quidem at mordaci stilo perscripsit, ne γρῦ quidem hujus meminerit? Fuit igitur Belisarius ter apud Justinianum perduellionis accusatus: semel cum in Perside contineret exercitum, Justiniano graviter ægrotante: iterum in Aphrica post devictum Gelimerem: tertiò cum jam senex ageret Constantinopoli à Sergio inter socios conjurationis nominatus. Sed nihilominus semper in pristinum honorem restitutus fuit. Quamquam dubitare possumus annon etiam quartò apud Imperatorem delatus fuerit, cum legamus ejus bona post obitum fisco addicta, & in domum Marinam, quæ recondendis Cæsarum divitiis inserviebat, asportata fuisse. Hoc tamen veriùs Justiniani avaritiæ, quâ majorem in modum flagrabat, quam Belizarii crimini adscripserimus. Nam Justinianum aurum ardentissime sitivisse auctor est Procopius & quam ille nihil pensi neque moderati habens omnia pro pecunia fecerit inter cæteros Evagrius ostendit, cujus verba *Lib*. IV. *cap*. 30. Hæc sunt: Ὁ Ἰουστινιανὸς ἦν μὲν χρημάτων ἄπληστος, καὶ τῶν ἀλλοτρίων οὕτως ἐκτόπως ἐραστής, ὡς καὶ τὸ ὑπήκοον ἅπαν χρυσίου ἀπεμπεράσκειν, τοῖς τε τὰς ἀρχὰς ἐπιτρέπουσι, τοῖς τε τοὺς φόρους ἐκλέγουσι, καὶ τοῖς ὅσοι ἀπ' οὐδεμιᾶς αἰτίας ῥάπτειν ἐπιβουλὰς τοῖς ἀνθρώποις ἐθέλουσι. Πολλοὺς δὲ καὶ ἀναρίθμους τῶν τὰ πολλὰ κεκτημένων προφάσεις ἀπερφρασίστους ἐπιχέουσας τὰς οὐσίας ἁπάσας ἐξημίωσε. Id est: *Erat autem Justinianus ita avarus, ut nullis opibus exsatiari posset, & alienorum ita appetens, ut omnes subditos quasi auro divenderet*

deret iis, qui aliquam præfecturam gerebant, aut vectigalia exigebant aut innocuis struebant insidias. Innumeros profecto eorum, qui in re erant lautiore, nullam vel falsam ob causam, omnibus opibus spoliavit. Atque sic quidem Belisarii bona ab Justiniano rapta fuisse merito quis suspicetur; cum vivus aliquando in tanto apud eum honore fuisset, ut nummos excudi jusserit, qui ab altera parte suam, ab altera Belisarii imaginem præferrent, cum ejusmodi elogio: *Belisarius Romanorum spes & gloria.* Hujusmodi nummus est, cujus meminit Petrus Gillius in accuratissimâ Constantinopoleos descriptione *Lib.* II. *cap.* 15, cujus verba subjungam: *Nunc vero Circus Constantinopolitanus friget, omnibus ornamentis spoliatus, nuperque exædificari cœptus est: quod me spectantem dolore affecit, quem augebat Belisarii primum de rege Vandalorum in Hippodromo triumphantis, deinde ob virtutem summam maxime periclitantis, recordatio, quam mihi dabat numisma, quod tum forte habebam in manibus in cujus uno latere scalptus erat Justinianus, Belisarium excipiens triumphantem; in altero Belisarii imago cum hoc elogio:* GLORIA ROMANORUM BELISARIUS. Sic quidem Gillius. Jam videamus unde fabula de Belisario occœcato suum duxerit ortum. Erat Constantinopoli quidam Johannes Capadox, qui cum semel Consulatum honorarium, bis præfecturam Prætorii gessisset, tandem à Justiniano in exilium pulsus ἄρτον ἢ ὀβολὸν ἐκ τοῦ προ-

ἀπαντώντων αἰτεῖσθαι, *panem vel obolum ab obviis petere* coactus fuit, uti narrat Procopius *Lib.* I. *Bell. Perſ. extremo.* Erat præterea Buzes, qui bello clarus & Beliſarii per Orientem collega, cum in ſuſpicionem affectati Imperii veniſſet, à Theodora, quæ verius quam Juſtinianus ipſe regebat, ultra biennium carceri tenebricoſo incluſus, adeo ut diem inter noctemque nihil diſcerneret, & tandem inde emiſſus ex eo tempore, oculis lucem ferre deſuetis, cœcutire & valetudine adversâ uti occepit, ut idem narrat Procopius in *Arcanâ Hiſtoriâ pag.* 17. Hæc cum aliqui minus in hiſtoriarum cognitione verſati de celebribus ducibus tacitis ipſorum nominibus, narrari audiviſſent, neque alium à Beliſario ducem ſub Juſtiniano noſſent, huic uni falſò adſcripſerunt, quæ iſtis duobus evenerant. Quis autem princeps autor fuerit hujus fabulæ nullus dixerim. Illud certò conſtat errare Cl. Berneggerum, qui autumaverit primùm à Baptiſta Egnatio vel Petro Crinito fuiſſe confictam: cum idem dudum ante narraverit Johannes Tzetzes *Chiliade* III. *Hiſtor.* 88.

Οὗτος ὁ Βελισάριος ὁ στρατηγὸς ὁ μέγας
Ἰουστινιανείοις ὢν ἐν χρόνοις στρατηλάτης,
Πρὸς πᾶσαν τετραμέρειαν γῆς ἐφαπλώσας νίκας,
Ὕστερον φθόνῳ τυφλωθείς, ὢ τύχης τῆς ἀστάτου!
Ἔκπωμα ξύλινον κρατῶν ἐβόα τῷ μιλίῳ,
Βελισαρίῳ ὀβολὸν δότε τῷ στρατηλάτῃ
Ὃν τύχη μὲν ἐδόξασεν, ἀποτυφλοῖ δὲ ὁ φθόνος.

Quorum verborum hic ſenſus eſt: *Beliſarius hic, qui*

qui Imperator fuit magnus, & Iustiniani tempore exercitum duxit, suasque per quatuor terræ partes circumtulit victorias, tandem per invidiam occæcatus, ô Instabilem fortunam! ac ligneum manu tenens poculum populo in stadio clamabat: Belisario Imperatori date obolum, quem fortuna quidem evexit, livor verò excæcat. Subjungit tamen Tzetzes, tanquam ipse de eo dubitaret, illud quod ab aliis traditum, nos verum esse jam ostendimus:

Ἄλλοι φασὶ τῶν χρονικῶν μὴ τυφλωθῆναι τοῦτον,
Ἐξ ἐντίμων δ' ἄτιμον ἐσχάτως γεγονέναι,
Καὶ πάλιν εἰς ἀνάκλησιν δόξης ἐλθεῖν προτέρας.

Id est: *Alii verò Historici hunc nequaquam oculis privatum fuisse tradunt; sed ex summo honore ad ultimum decidisse despectum, unde tamen ad priorem dignitatem iterum assurrexit.* Est autem illud Tzetzæ opus, quod ipse nonnunquam epistolam, nonnunquam πίνακας, sæpe historiam appellat, ab eo scriptum. Anno à C. N. M. C. L X X V I, uti docet Nicolaus Grebelius in præfatione Tzetzæ præfixâ.

CAP. II.

Petavius notatus. Synesius ex Procopio explicatus. Consules Alter Orientis alter Occidentis. Consules honorarii. Seneca tentatus.

INter scriptores, quorum lectione me sæpius oblecto, magnas habet Synesius, cujus opera nobis doctissimus Jesuita Petavius non edidit solum: sed & multum emaculavit ac notis illustravit elegantissimis. Plurimum autem inter cætera opera me afficiunt Epistolæ, quas Suidas θαυμαζομένας vocat, ego mellifluas vocitare soleo. Incipit ipsius Epistola CXXXIII. his verbis: Χθὲς καὶ πρώην ἐπὶ τῶν ἐναγχος ὑπάτων, ὧν ἅτερός ἐστιν Ἀρισταίνετος· τὸν γὰρ συνάρχοντα ἀγνοῶ. κατασεσημασμένην ἐκομισάμην ἐπιστολὴν, τὸ σὸν τῆς ἱερᾶς κεφαλῆς ἐπιγεγραμμένην ὄνομα. Hoc est, vertente Turnebo, modo verum hæc versio præferat autorem: *Heri & paulo ante his consulibus, qui modo facti sunt, quorum alter est Aristænetus, collegam enim non novi, accepi epistolam, quam ad me miseras obsignatam, inscriptam tuo sacri tui capitis nomine.* Ad hæc verba ita Dionysius Petavius: Συνάρχων *Aristaneti Honorius Imperator fuit anno* CCCCCIV. *Nec mirum ignorari à Synesio; etenim consularis honos principali fastigio velut sidus solis lumine condebatur.* Sed falleris, Petavi: nam ludi, venationes, cæteraque munera initio consulatus ab Honorio de more

more data nonne ſatis Conſulem prodebant? Dicamus quod res eſt. Syneſius Orientis Conſulem commode & ſtatim tenere potuit, Occidentis vero Conſulem non potuit. Poſtquam enim Imperium à Conſtantino Byzantium tranſlatum eſſet, ὕπατοι Ῥωμαίων ἀνὰ πᾶν ἔτος ἐγινέσθην δύο, ἅτερος μὲν ἐν Ῥώμῃ, ὁ δὲ δὴ ἕτερος ἐν Βυζαντίῳ, quæ ſunt αὐτόχρημα Procopii verba *Hiſtor. Arc. pag.* 114. *Duo ſingulis annis apud Romanos conſules creabantur, unus Romæ, alter Byzantii.* Facile igitur evenire potuit, cum Conſtantinopolis à Româ longiuſcule diſtaret, ut qui in Oriente eſſent non ſtatim Conſulem Romanum agnoſcerent, nec qui in Occidente Conſtantinopolitanum. Atque hinc facile viderimus, quid cauſæ ſit, cur multæ Antiquorum Epiſtolæ, ac alia monumenta unico conſulis nomine notata exſtent, iis etiam annis, quibus faſti duos Conſules produnt. Quomodo vero in tabulis publicis, Conſulis, cujus nomen ignorabatur, mentio fieret, non injucundum erit ſi doceam ab exemplis, quæ doctiſſimo Alemanno niſi transſcriberem, plagii merito condemnarer. Sic igitur habemus in *Actis* VII. *Concilii Conſtantinop. ſub Flaviano:* Φλαβίου Πρωτογένους καὶ τοῦ δηλωθησομένου ὑπάτου. *Flavio Protogene & declarando conſulibus:* Chalcedonenſis Concilii Actiones notatæ ſunt, *Marciano, & qui fuerit nuntiatus Conſſ.* In calce diplomatis Theodoſii ſic legimus: *Fl. Antiochi & alterius declarandi Conſulatu.* Poſſem hac occaſione multa addere de conſulibus: ſed cui non

dictus Hylas? Quanta in dignitate iste honos fuerit, vel hinc claret, quod multi, non modo magni æstimarint; sed & magni emerint per paucas dies; imo per paucas horas consules esse, qualis ille fuit, quo Consule neminem somnum vel cibum percepisse memoriæ proditum est. Istud adnotare non pigebit, præter *Ordinarios* Consules, quosdam *Honorarios* fuisse, qui & *Codicillares* vocabantur, ὑπάτους καλουμένους μόνον, *solo nomine Consules* ut ait Procopius *Lib.* III. *Bell. Goth.* Hi præter nomen nihil dignitatis habebant, neque in fastis Consularibus notabantur. Poterant autem Eunuchi hujusmodi Consules esse, cum *Ordinarii* esse lege prohiberentur. Patet hoc ex Narsetis Eunuchi, qui sub Justiniano florebat, inscriptione ad Pontem Salarium: NARSES. VIR. GLORIOSISSIMUS. EX. PRÆPOS. SACRI. PALATII. EX. CONS. ATQUE. PATRITIUS. Neque solum Consules *Honorarii*; sed & Senatores, aliique præfecti *Honorarii* erant. Cassiodorum certe nonnulli recte appellant, *non officio, sed nomine Senatorem.* Ausonius de Patre utriusque Romæ Senatore *Honorario. Eidijl:* II.

Curia me duplex & uterque Senatus habebat
Muneris exortem, nomine participem.

Justinianus *Novell.* LXX. *Plurima horum quæ olim sancita sunt, neglecta & non facile in republica tractata, omnino visa sunt, absone lege & sine legislatione consistere: Novimus enim quia an-*

antiquitus erat quædam præfectura, quam Honorariam vocabant, codicillis ab imperio super ea collatis. Hanc autem ita nominabant, ut nihil aliud nisi purum honorem iis, quibus præbebatur, conferret, quæ curiales non liberabat à fortuna curiali, nisi quis eam ipso opere ministrasset. Hujusmodi præfecturam Euagrius habuit, cujus in fine historiæ hæc verba legimus: Δι ὧν καὶ δύο τε τετυχήκαμεν ἀξιωμάτων, Τιβερίου μὲν Κωνσταντίνου, τῆ τοῦ κοιαιστωρίου περιβαλόντος, Μαυρικίου δὲ Τιβερίου δέλτους ὑπάρχων στείλαντος· *Per quos & duas obtinuimus dignitates, Tiberio quidem Constantini filio conferente Quæstoris gradum, hujus vero filio Mauricio mittente codicillos, quibus præfectum scribebat.* Ad Consulem *Codicillarem*, non inepte forsan quis retulerit Senecæ verba *Lib.* III. *de Ira, cap.* 31: puto enim hujusmodi consules Senecæ quoque tempore factos fuisse, quod nemo mirabitur, qui consulatum à primis etiam Imperatoribus in paucos dies datum ex Suetonio didicerit. Verba autem Senecæ ita sonant. *Dedit mihi præturam? sed consulatum speraveram. Dedit duodecim fasces? sed NON fecit ORDINARIUM Consulem. A me numerari voluit annum? Sed deest mihi ad Sacerdotium.* Non repudio tamen, quæ Cl. Lipsius ad hunc locum hisce verbis notat: *Duplices Consules ab Augusto, SUFFECTI & ORDINARII. Isti Ordinarii, qui initio anni inibant, & fastis prænotabantur, & instrumentis, & ubicunque annorum ratio erat. At alii per men-*

A 5 *ses*

ſes tres aut duos ſufficiebantur, poteſtate pari, non dignitate. Hic velim eruditiores perpendant an non elegantius apud Senecam interrogationis nota tollatur? Mihi quidem ita videtur.

CAP. III.

Muretus laudatus. De inſigni Grotii, Voſſii, Salmaſii, Mirandulani, Paſcalii, Guyeti, Roberti Conſtantini Theodor. Bezæ & Chriſt. Longolii memoria. Adagium nulli notatum, quod contra Barthium explicatur.

CUm nuper in Antonii Mureti *Varias Lectiones* incidiſſem, magna cum voluptate, magnoque fructu totas evolvi. Eas elegantiſſimas eſſe ſi quis dubitat Muretum profecto non novit, quo alter non fuit elegantior. Orationes & epiſtolas teſtes interroga, & niſi verum me dixiſſe confiteare, ſtipitem te ac plumbeum libere pronuntiabo. Adeo is quidem feliciter Veteres imitabatur, ut Epigramma, quod ipſe fecerat Cæſari Scaligero (at quanto Viro!) pro antiquo Veteris Scriptoris obtruderet. Quod hic ubi reſciſceret hoc diſticho ultus fuit:

Qui rigidæ flammas evaſerat ante Toloſæ
Muretus, fumos vendidit ille mihi.

Is igitur Muretus *Lib.* III. *cap.* I. *Var. Lect.* varia

varia exempla profert eorum qui memoriâ excelluerunt, inter quæ illud adolescentis Corsici omnem fidem superaret, nisi ipsemet se vidisse testaretur. Ea cum legerem, in mentem veniebat quod de Hugone Grotio, viro Celeberrimo,

Quem sibi quindenis Astræa sacravit ab annis.

Aliquando narravit Parens meus cui præter vitam, studia mea, qualiacunque ea sunt, debeo, ipso à pueris præceptore usus. Accidit nimirum ut Grotius ex Autoritate Illustrium ac Præpotentum Hollandiæ Ordinum aliquot militum cohortes lustraret, magno sane memoriæ summæ exemplo, quòd statim non modo omnes milites, nunquam sibi antea visos de facie nosceret; sed & singulorum nomina absque hæsitatione teneret. Neque minus mirandum quod de Viro undiquaque doctissimo Gerardo Joanne Vossio vir quidam & ipse doctissimus mihi retulit. Ajebat is, se ex ipso Vossio audivisse, tantâ eum fuisse memoriâ præditum, ut non sciret se unquam cujusquam rei esse oblitum. Huic profecto non multum hac felicitatis parte cessit, si non & superavit CL. Salmasius, quo lumine nullum illustrius Academiam nostram ἐφώτισε. Ponam de eo Clementii verba, qui Viri CEL. vitam copiose descripsit. *Memoriâ profecto stupendâ fuit. Adeo ut pares illi hac in parte vel universo orbe paucissimi, superiores nulli. Nulla pene nomina erant propria Virorum; Regionum, Urbium, Montium &c. quæ si semel legisset non posset continuò revocare in mentem.*

tem. Narravit mihi V. CL. & eximium Academiæ nostræ lumen ac columen, I. Golius, qui utebatur eo perfamiliariter, incidente occasione aliquot sibi recitasse memoriter periodos ex Pentateucho Arabico, quem decennio ante, nec nisi semel legisset. Adversaria, aut dispositos locos communes, (habebat plurimos, cujus jam mentionem feci, CL. Vossius) *quod fidem fortasse non inveniet, nullos habuit. Solis enim excerptis, quæ in Bibliothecis olim puer collegerat, utebatur, & iis quidem valde inordinatis; sed quæ memoria, cum occasio ferret, facile suggereret. Sæpe in scriptis suis hujus felicitatis argumenta & signa exhibuit expressissima, cum Autorum locos fere citaret memoriter.* Hactenus Clementius. Tanto autem

CLL. Horum virorum memoriam magis mirari debemus, quanto in retinendis, que ceperat, fuit felicior. Nam cum duo sint genera eorum, qui memoria excellent, quorum alteri facile quævis arripiunt, alteri arrepta retinent: hi tamen ista duo, quæ diversa esse solent simul præstabant. Et quid, quæso prosit multa memoriæ tradere & cum curâ infigere, si continuo effluant, veluti in vento & rapidâ aquâ scripta essent, nec ad usum, ubi opus est, depromas? Itaque tenacem esse memoriam oportet, qualis in illustrissimo Mirandulæ Comite Joanne Pico fuisse traditur. Ita de Patruo Franciscus Picus in ipsius vitâ: *In discendo quidem celerrimus erat, prompto adeo ingenio præditus, ut audita semel à recitante carmina, & directo & retro-*

retrogrado ordine, mira omnium admiratione recenseret, tenacissimâque retineret memoriâ, quod cæteris contra evenire solet: nam qui celeri sunt ingenio, natura fieri sæpe solet, ut non multum memoria valeant, qui vero cum labore percipiunt, tenaciores perceptorum evadant. His non multum distant quæ de Paschalio in Galliis notissimo viro narrat is, qui Præfationem addidit *Cogitatis* ejus *Posthumis. Et comme, dit il, il avoit un memoire excellente, & qu'on peut dire mesme prodigieuse. de sorte qu'il avoit souvent assuré qu'il n'avoit jamais rien oublié de ce, qu'il avoit une fois bien imprimé dans son esprit; lors qu'il s'estoit ainsi quelque tems applique à un sujet, il ne craignoit que les pensées qui luy estoient venues luy puissent jamais échapper: & c'est pourquoy il differoit assez souvent de les escrire, soit qu'il n'en eust pas de loisir, soit que sa santé qui a presque tousjours esté languissante & imparfaite, ne fust pas assez forte pour luy permettre de travailler, avec application.* Quæ verba in hunc sensum confero. *Et quoniam ad miraculum usque memoriâ valebat, adeo ut sepe dixerit nihil sibi unquam excidisse eorum, quæ semel tantum menti bene impresserat, inde evenit ut nihil vereretur, ne quæ aliquando cum curâ de aliquâ materiâ cogitaverat, iterum oblivisceretur: Ideoque ea chartis mandare sæpius differebat, sive ob otii penuriam, sive ob valetudinem, quâ utebatur infirmâ & laborum minus patiente.* Hujusmodi si quis memoria præditus sit, ad usque senium plerum-

rumque retinebit. De Francisco Guyeto, qui egregie in Terentium commentatus est, quique novo ac inaudito antea consilio linguam Latinam à Græca non modo derivabat; sed & Græcæ Linguæ primitiva omnia, unde cætera deducerentur, vocabula, monosyllaba esse contendebat, de eo, inquam, Guyeto Antonius Periander in ipsius vita refert, *quod memoriâ imprimis valuerit, quam fidam omniumque, quæ semel tradita erant, tenacissimam ad extremum usque conservavit.* Hoc quoque verum esse apparuit in Roberto Constantino, cujus Lexicon Græco-Latinum in omnium versatur manibus, de quo Viro τοῦ πάνυ Thuani verba adscribam: *Vixit ad annum tertium supra centesimum, integris corporis ac mentis sensibus, & memoriâ adhuc valida.* Adeo ut non semper verum sit quod senex dicit apud *Senecam in Oedipo*:

—— Prima languescit senum
Memoria, longo lapsa sublabens situ.

Mirum profecto est, quod refert de CEL. Theologo Theodoro Beza, jam fere centenario CL. Casaubonus in Epistolis. *Venerandus senex Theodorus Beza, cum per longinquitatem ætatis factus sit obliviosus adeo, ut post frequentes de novo Rege Angliæ sermones, subinde me rogaret de regina, an verum esset, quod fama jactaret, eam fatis concessisse: idem tamen in literis nobis visus is esse, quem ante annos viginti noveramus. Loquitur Latine, interdum & Græce, ut antea. Audivimus de Histo-*

Historia Veteri differentem è re nata luculentissime, ut videretur recens esse à lectione Plutarchi, & id genus autorum. Iam textus Biblicos, maxime N. T. in numerato habet. Longum sit omnia persequi quæ sumus in optimo sene mirati, &c. Cum memoria nihil jam novi admitteret, humore omni ætate depasto, vetera tamen fideliter retinebat. Neque dubito quin idem obtinuisset in illo Ciceronis Imitatore verius, quam æmulatore Christ. Longolio, si ad senium pertingere ei licuisset: obiit enim ætatis anno quarto & trigesimo. Libet hîc adscribere quæ in Vita ipsius de insigni ejus memoriâ literis consignata exstant. *Memoriâ vero tantâ fuit, ut ad ea tollenda, quæ animo semel insedissent, diuturnitas temporis vix aliquid valeret. De pluribus & variis rebus sæpe interrogatus, de quibus à multis annis nihil legerat, non minus prompte de singulis solitus est respondere, ac si eo die ab eo perlecta fuissent. Cujus rei, cum familiariter cum eo viverem, in consuetudine quotidiana crebro periculum facere licuit. Hocque in eo magis mirum fuit, quod cum plurima legisset, omnia autem, quæ Græce aut Latine scripta essent, sibi legenda proponeret, nunquam fere ad metam semper properanti ad eundem scriptorem revertere licuit. Si quando de iis rebus sermo incideret, quæ à diversis & variis scriptoribus tractata essent, cum res ipsæ essent eadem, ita tamen oratione solebat distinguere, sua verba singulis scriptoribus, à quibus ea acceperat, referendo,*

ut

ut non memoriter ea dixiſſe, in quo ſæpe offendi ſolet; ſed de ſcripto pronuntiaſſe videretur. Quæ ſæpe cum faceret, ita auditorum admirationem incendit, ut eum artificio quodam non naturali memoriæ bono uti exiſtimarent. Hujusmodi autem inſignis memoria, quin plurimum in ſtudiis conducat, nemo, opinor, diffitebitur. Quapropter *Ars* quædam *Memoriæ* excogitata fuit, quam à Lullio inventore Lullianam vocant. Sed cum illud naturæ donum ſit, quod induſtria & opera perficit, fruſtra me judice, eam artem adhibent. Alia eſt memoria verborum, alia rerum, quarum illam abſque hac nemo magni æſtimabit, qui didicerit quid ſolidæ res nugis canoris diſtent. Etſi igitur quis multa verba per artem doceri poſſit, res vero non poſſit; tamen eâ arte non utetur: præſertim cum eò res ſe penetrare non poſſint, ubi multis & inanibus verbis memoria obſita ſit. Aliud autem per eam artem teneri non poteſt, niſi confuſum verborum chaos, & inutilium terminorum farrago. Recte itaque Cicero eos notat Oratores, qui verborum ſtudio dediti res ipſas negligebant: adeo ut cum ſplendidas voces multas tenerent, rerum tamen omnino ignari eſſet. Sed hæc res cum prolixiorem diſſertationem deſideret, impræſentiarum à nobis mittetur. Contenti erimus Adagium adjeciſſe, nulli Adagiographorum hactenus, quod ſcimus, notatum.

Id exſtat in elegantiſſimo Procopii Gazæi libro, quem ſcripſit *de Animæ Immortalitate.* Ipſa Gazæi

Gazæi verba ponam, quibus Axitheus Theophrastum ita alloquitur: Εὐδαίμων εἶ, ὦ Θεόφραστε, ὃς πολλῶν ὄντων καὶ ποικίλων τῶν πάλαι λεγομένων, οὐδὲν σε διέλαθεν. ἀλλὰ πάντα διδάσκεις σαφῶς, ὡς αὐτὸς ἐξευρὼν, οὐ τὰ τῶν παλαιῶν διεξιών. Μνημονικώτερος μᾶλλον τοῦ Ἱππίου ἐφάνης. h. e. *Felix es, ô Theophraste, qui, cum multa sint atque varia antiquitus dicta omnium istorum gnarus sis, atque ita edisseras perspicuè, tanquam ipse primus excogitasses, nec aliunde ab antiquis accepisses.* *HIPPIAM IPSUM MEMORIA VINCERE VISUS ES.* Non dubito quin non sumptum sit ex Platone in *Hippia Majore*, ubi Hippias de semet ipso hæc verba usurpat: Ἅπαξ ἀκούσας πεντήκοντα ὀνόματα ἀπομνημονεύσω. *Quinquaginta nomina, modo semel audiam, memoriter recensebo.* Caspar Barthius, cujus diligentiæ in re literaria plus forsitan, quam judicio, debemus, istud Adagium non sine sale dictum putat in hominem jactatorem. Istud ut verum esse assentiar, facere non possum. Hippias quidem de eo se jactat, quod maximâ memoriâ præditus sit, & ideo se effert: sed inde concludes eos omnes qui Hippiæ memoriâ similes esse dicuntur, jactatores esse? Mihi sanè illud ἀκόλουθον, qua sum stupiditate, non patet. Melius itaque hoc Adagium usurpatur de eo, qui maximè memoriâ excellit, quales illi, quorum jam meminimus. Hisce si quis plura exempla desiderat, is præter cæteros adeat Jonstonum in egregio libello. *De Naturæ constantia Prop.* IV. *Artic.* 3. *Membr.* I.

CAP. IV.

De mancipio Peruano faceta hiſtoriola. Purpuramentum vel encauſtum, quo Imperatores ſubſcribebant, deque ipſa ſubſcriptione. Capita legum, librorum tituli, & errores in ſcribendo minio notati. Eraſmus & notatus ſimul & laudatus. Minium in ſimulacris Deorum & triumphis, nec non in ſepulcris uſurpatum: Canicularius.

NIhil profecto rebus humanis utilius eſſe quiverit, quam ſcribere. Qui hoc princeps mortales docuit, quiſquis fuerit, næ ille rem egregiam præſtitit. Per ſcriptionem nosmet ipſos tanquam in ſpeculo oſtendimus, & ſicut Majorum res geſtæ ad nos tranſmiſſæ ſunt, ita noſtras ad poſteros tranſmittimus. Per ea in abſentes loquimur cum abſentibus, & intimos animi ſenſus communicamus. Sint licet

—— μάλα πόλλα μετάξυ
Οὐρεά τε σκιόεντα θάλασσά τε ἠχύεσσα,

Multi umbroſi montes interſiti, ac mare ſonans; tamen ultro citroque literæ commeant, & ſcriptio præſentes facit, quos longum intervallum disjungit. Venuſte *Seneca* ad Lucilium ſuum *Epiſt.* XL. *Quod frequenter mihi ſcribis gratias ago:*

ago: nam quo uno modo potes te mihi ostendis. Nunquam Epistolam tuam accipio, ut non protinus unâ simus. Si imagines nobis amicorum absentium jucunda sunt, quæ memoriam renovant, & desiderium absentiæ falso atque inani solatio levant: quanto jucundiores sunt literæ, quæ vera amici absentis vestigia, veras notas afferunt? nam quod in adspectu dulcissimum est, id amici manus epistolæ impressa præstat, agnoscere. Facetum est, quod Cl. *Vossius Lib. de* IV. *Art. Pop. pag.* 7. narrat de mancipio Peruano, qui quid epistolæ essent, quidve possent, plane videtur ignorasse. *Miserat eum Dominus* (Vossii verba describam) *ad virum nobilem cum corbe ficuum pleno, & literis. Mancipium deliciis captum bonam in via partem voravit. Cui missus erat, ex literis deprehendit quantum absumpsisset. Quare nequitiæ arguit. Hic mendacii arguere literas, seque diris devovere, si reus furti inveniretur. Denuo à Domino mittitur cum ficubus & literis. Jam metuere ltteras caperat, quasi videre, & visa proloqui scirent. Comesturus igitur ficus prius sub saxo abdidit literas, eique insedit. Viâ confectâ reliquum tradit cnm literis. Iterum arguitur. Ille negare factum, quod sciret literas in obscuro id non potuisse conspicere. Et fortasse permansisset animus nisi tergo à Domino Ibericis funibus, vel virgis ulmeis perusto in posterum etiam Plautinam metuisset virgidemiam.* Sed ad rem quam volumus. Epistolæ Imperatorum quibus ad materias quæsitas respondebant, quæ

proprio nomine *Rescripta* vocantur, ut & omnia diplomata, quæ principum nomine vulgabantur, ut ut communi atramento scriberentur, proprio tamen colore nomen Imperatoris subnotatum habebant. Testem, cum possemus plures, citabimus solum *Procopium in* ἀνεκδότοις *pag.* 28. quæ cur Fr. Guyetus supposititium ac alienum fætum esse crediderit, causam profecto video nullam. Hæc sunt Procopii verba: ξύλῳ εἰργασμένῳ βραχεῖ ἐγκολάψαντες μορφήν τινα γραμμάτων τεττάρων, ἅπερ ἀναγνῶναι τῇ Λατίνων φωνῇ δύναται, γραφίδα τε βαφῇ βάψαντες, ᾗ βασιλεῖς γράφειν εἰώθασιν ἐνεχείριζοντο τῷ βασιλεῖ τούτῳ. *Lignea tabella perpolitæ formam quatuor literarum, quæ legi Latine poßent, incidendam curant, eâque libello impositâ, calamum colore imbutum, quo scribere mos est Imperatoribus, huic Principi tradebant in manum.* Loquitur de Justino, quem Imperium Romanum ἀναλφάβητον Principem primum habuit, cujus manum, cum subscribendum esset libellis, alius dirigebat, circum agebatque per quatuor literarum formas. Ejusmodi autem subscriptionem etiam ab Imperii exordio de more necessariam fuisse, in rebus præsertim gravioribus, ut si de capite alicujus ageretur, argumento fuerit una illa vox egregia Neronis, de quâ *Suetonius Vit. Ner. cap.* 10. *Cum de supplicio cujusdam capite damnati, ut ex more subscriberet admoneretur, QUAM VELLEM, inquit, NESCIRE LITERAS.* Optima verba! quibus Seneca se maxime impulsum ait, ut de Clementiâ scriberet. Ita quippe

quippe librum de Clementia ſecundum orditur: *Ut de clementia ſcriberem, Nero Cæſar, una me vox tua maxime compulit, quam ego non ſine admiratione, & cum diceretur, audiſſe memini, & deinde aliis narraſſe, &c.* Quod vero Iuſtinus quatuor tantum literis nomen ſubnotârit ſuum, in eo, non modo commoditati ſuæ conſuevit; ſed & priſcum Romanorum uſum retinuit, de quo *Plutarchus in Quæſtionibus Romanis:* Τὰ δὲ πρῶτα τῶν ὀλογραφοῦσιν, ἀλλὰ ἢ δι' ἑνὸς γράμματος, ὡς τὸν Τίτον, καὶ τὸν Λούκιον, καὶ τὸν Μάρκον. ἢ διὰ δυοῖν, ὡς τὸν Τιβέριον καὶ τὸν Κνέον. ἢ διὰ τριῶν, ὡς τὸν Σέξτον καὶ τὸν Σερούιον. *Prænomina, Romani non tota ſcribunt: ſed aut, unica litera, ut Titum, Lucium, Marcum; aut duabus, ut Tiberium & Cneum; aut tribus denique; ut Sextum Servium.* Ille tamen uſus poſtea exolevit apud Imperatores, qui integrum nomen arcanis quibuſdam nodis & implicationibus literarum ſcribere cæperunt: quod genus nodorum & hodie videmus plurimum & maxime annulis ſignatoriis inſculptum. Notat Alemannus in *Sexta Synodo Actione* XII. mentionem fieri μονογράμμου Imperatoris Conſtantini Prognati, quod haſce continebat voces Κωνσταντίνου Δεσπότου *Conſtantini Domini.* Juſtinianum vero, quem Juſtinus ſucceſſorem habuit, unica litera I. nomen ſuum indicare conſueviſſe, quidam ex Corippo eruunt, qui propterea *Iota* Iuſtiniani apicem eſſe dixerit. Qualis autem ille color fuerit, quo in ſubſcribendo imperatores uterentur, non aliunde luculentius patet, quam ex *Lib. 6. C. de*

 Di-

Diverſ. Reſcript. ubi Leo Imperator ſacra reſcripta alio colore, quam purpurea Inſcriptione, luſtrari vetat, de quo vide *Briſſonium Lib.* III. *de form. & ſolemn. Pop. Rom. verbis*, & præter hunc *Pancirollum de Rebus deperditis Tit.* II. *& ibi Henricum Salmuth.* Lex ipſa ita ſonat: *Sacri affatus, quoſcunque noſtra manſuetudinis in quacunque parte paginarum ſcripſerit autoritas, non alio vultu penitus, aut colore, niſi purpurea tantum inſcriptione luſtrentur: ſcilicet ut cocti muricis, & triti conchilii ardore ſignentur. Eaque tantum fas ſit proferri aut dici reſcripta in quibuſcunque judiciis, qua in chartis ſive membranis ſubnotatio noſtra ſubſcriptionis impreſſerit. Hanc autem ſacri encauſti confectionem nulli ſit licitum aut conceſſum habere, aut quærere, aut à quocunque ſperare: eo videlicet, qui hoc aggreßus fuerit, tyrannico ſpiritu, poſt proſcriptionem bonorum omnium, capitali non immerito pœna plectendo.* Nec minus luculentum eſt illud teſtimonium, quod ex Gregorio II. *Honoratus Nicquetus* profert *de Tit. Sanct. Crucis Lib.* I. *cap.* 7. Ita quippe inter cætera Gregorius ad Leonem Iſauricum: *Illud autem in primis præcipuum eſt, quod literæ tuæ, & non alienæ ſigillis Imperatoriis obſignatæ diligenter ſunt, & accuratæ intus ſubſcriptiones per cinnabarum propria manu tua, ut mos eſt Imperatoris ſcribere.* Clara quoque ſunt Conſtantini Manaſſis verba in Annalibus, quæ quoniam Græca ad manum non ſunt, Latine adſcri-

bam : *Imperator*, inquit, *precibus sororis annuit, mox calamum prehendit manu, & exaratis purpurei coloris literis chartam confirmat.* Erat autem, ab isto purpureo colore diversus alter ruber, qui in capitibus legum & titulis librorum conspiciebatur. Unde capita Legum *Rubricas* dici solere notius est, quam ut indicetur. Respicit eo *Persius Satyrâ* V.

Cur mihi non liceat, jussit quodcunque voluntas,
Excepto, si quid Masuri R U B R I C A *notavit.*

Et Juvenalis *Satyrâ* XIV, ubi leges Majorum *rubras* vocat. Consule, si vacat, magnum olim Galliæ lumen, *Ad. Turnebum in elegantissimis Advers. Lib.* IV. *cap.* 2. Hinc ortum duxit illud vulgo quod dici solet: *Non intelligitur nigrum, nisi legatur rubrum.* Necesse enim est, ut legis titulus prius teneatur, quam ipsa lex intelligi possit. Fiebat autem hoc tum Majestatis, tum terroris causa: ut nempe legibus minio, sinopide, aut cinnabari notátis, & sanguineum quiddam ac cruentum minitantibus, sua Magistratui constaret Majestas, ac subditis terror. Docuit nos *Prudentius Lib.* II. *cont. Symm.*

—— *Dicant cur condita sit lex.*
Bis sex in tabulis, aut cur rubrica minetur,
Quæ prohibet peccare reos, quos ferrea fata
Cogunt ad facinus, & inevitabile mergunt.

Ab hoc instituto plane discrepant Hebræi, qui neque legem, neque ullos sacros libros alio, quàm

atro ſcribunt colore. Teſtantur quippe eorum Doctores, non licuiſſe libros ſacros deſcribere, ne Regi quidem, niſi atramento ſpeciali, modo in eum uſum confecto, ex fumo olei, vel picis, vel ſevi, vel talium, quod cum exuſto ligno pinſebatur, & dein depſebatur, cum melle, donec attenuatum eſſet. Poſt, prius exſiccatum, reponebatur donec, tempore ſcriptionis iterum diſſolveretur in aquâ Gallarum aut ſimilium. Ferunt quippe Moſi injunctum in Monte Sinai, ut libri ſacri ſolo atramento ſcriberentur, omnibus coloribus, præter hunc, prohibitis; adeo ut ſi unica literula iis ſcriberetur, totum pollutum eſſe cenſeretur atque prophanum. Nec vel nobiliſſima auri tinctura excipiebatur. Atque ideo de Pentateucho Alexandri Magni pronuntiatum eſt à ſapientibus, eum è medio tollendum eſſe, quod nomen Dei aureis literis perſcriptum eſſet. Vide *Guillielmum Schickardum de jure Regio Hebr. cap.* 2. *&, qui ex Schickardo ſumpſit, Rivetum Iſag. ad Sacr. Script. cap.* 10. *Etiam Lomeierum de Bibliothecis cap.* 3. *Sect.* 2. De titulis librorum minio notatis notiſſimus *Ovidii Initio Triſt.* locus exſtat:

Nec titulus minio, nec cedro charta notetur.

Errores quoque in ſcribendo ſive Sphalmata minio notari conſueviſſe patet ex Cicerone: niſi quis à ſolo Attico in Ciceronis συντάξει corrigendis miniatam cerulam adhibitam eſſe putet. Ita eloquentiſſimus Romuli nepotum *Ad Atticum lib.*

Lib. XV. *Epist.* 15. *His literis scriptis, me ad* συντάξεις *dedi: quæ quidem vereor, ne miniatâ cerulâ tuâ pluribus locis notandæ sint: ita sum* μετέωρος, *& magnis cogitationibus impeditus.* Et iterum *Epist.* 2. *Lib.* XVI. *Nostrum opus tibi probari lætor: ex quo ante ipse posuisti, quæ mihi florentia sunt visa tuo judicio: cerulas enim tuas miniatulas illas extimescebam.* Huc haud dubiò respiciunt *Baptista Guarinus in Epistola ad Joan. Picum Mirandulæ Principem, quæ inter hujus exstat epistolas*, hisce verbis: *Neque transversi calami signo, neque miniata cerula* (sic enim legendum est, cum typographi vitio ut multa alia in istis Epistolis, perperam legatur, *minuta cerula*) *neque obelisco denique aut asterisco tantum promovisse mihi conscius sum.* Nec non φιλομαθέστατος, *Thomas Reinesius*, maximi inter Germanos vir judicii, sed ingenii asperioris, *in Epistolis ad Hoffmannum Epist.* 12. *Sciatis autem certissime, ingentis beneficii loco habiturum me, quicquid contra dederitis: & efflagito igitur ceras miniatulas vestras,* ἀθετήσεις *& obelos.* Hîc mirari subit, quid Magnum Erasmum dignum reddiderit miniatâ cerâ, qui in *Ciceroniano suo* Nosoponum ita faciat loquentem: *Quæ sunt apud Ciceronem miniatâ virgulâ signo: quæ non sunt, atrâ.* Erat autem Nosoponus Ciceroni addictissimus, adeo ut nullum vocabulum probaret, nisi quod in Cicerone invenisset. Non igitur, quæ apud Ciceronem erant miniatâ virgulâ aut cærulâ signari

debebant, cum ille putaret ea non tantum bona esse, sed etiam sola. Quovis potius fausto & candido signo notari conveniebat. Et, si dicendum est, parum in isto libello decorum ab Erasmo servatur. Neque solum minime Ciceroniane loquitur, quem fingit Ciceronianum: (quod non spernendis rationibus excusat) sed nulla coactus necessitate in aliud dicendi genus, Poëticum sane, deflectit, nec raro ipsos Poëtas sibi assumit, tanquam in ipsis, non in Cicerone operam posuisset. Parum quoque hæc conveniunt, annos septem totos nihil attingere præter libros Ciceronianos, & de multis scriptoribus, qui etiam inter ea temporis prodierant, judicare quasi totos perlegisset. Nolim tamen hoc eo animo à me dictum quispiam existimet, tanquam Erasmo nostro quippiam detractum velim. Altioribus ejus fama nixa est radicibus quam ut hiscem inutiis moveatur. Plurimum ei res literaria debet, quem multis exteris nos Batavi unum opponimus. Neminem illi proferunt, qui magis multa præstistiterit vel majora. Hujus viri, cum ingenium & judicium non possumus, utinam saltem imitaremur diligentiam, cujus exempla in aliud tempus reponimus. Suis tamen nævis Erasmus non caruit. Neque mirum: cum nihil perfectum sit & ab omni parte beatum. Excidunt sæpe magnis viris quædam minus bona, dum gravioribus intenti non demittunt se ad minutias: quod & ipsi Ciceroni evenisse, hactenus qui negavit,

vidi

vidi neminem. Quid autem de illo Erasmi libello, quem *Ciceronianum* inscripsit, omnino statuendum sit, aliorum esto judicium. Illud constat J. C. Scaligerum duas adversus Erasmum orationes scripsisse, quarum in unâ *Ciceronianum* ex professo reprehendit. Sed quis nescit Scaligerum pœnituisse, quod adversus Erasmum scripserat? Hoc tum Josephus Filius, tum ipse his verbis ostendit:

Tu ne etiam moreris! ah, quid me linquis Erasme,
Ante meus quam sit conciliatus amor?
Tune etiam? cui tam parvus fuit orbis ut altæ
Expleres mentis fulmina torva tuæ.
Ergo sidereis postquam est subvecta quadrigis
Atque Dei læto lingua recepta sinu;
Ille ego, qui insanæ ridebam vulnera mortis
Conditaque Ætnea tela trisulca manu,
Ad quodvis stupeo momentum, ac territus adsto:
Maxima cum videam numina posse mori.

Josephus vero Scaliger *in Scaligerianis*, sic loquitur: *Mon Pere attaqua Erasme, en Soldat. Depuis apres avoir estudié, il vit, qu'Erasme estoit un grand Personnage. Peut estre Mon Pere n'avoit pas l'eu, ou n'entendoit pas Erasme. Pater meus Miles adhuc in Erasmum scripsit. Postquam se studiis dedisset, facile vidit Erasmum esse magnum præclarumque Virum. Forsitan Pater vel Erasmum non legerat, vel non intellexerat.* Et

paulo post: *Erasmus mortuus est anno* cIↄ Iↄ XXXVI, *quatuor annos ante me natum. C'estoit un grand homme. Magnus atque praclarus erat Vir. Pœnituit patrem adversus eum scripsisse. Il vist sa faute. Vidit ipse perperam abs se factum. Sed fuerat irritatus, cum vocaretur ab Erasmo miles, quasi per contemptum: ut amphiteatrum* (intelligit pessimum Caroli Scribani Jesuitæ librum, cui titulus *Amphiteatrum honoris*, sub Clari Bonarscii nomine in vulgus emissum, de quo multa Baudius in Epistolis) *vocat Dominum Plessaum & Lanovium Milites per contemptum.* Et iterum: *Ille in dialogo Ciceroniano nugaciter Lapsus, cum tamen nihil fuerit Erasmo doctius. Quid praclarius epistolis ejus & paraphrasi?* Ne quis mihi hîc vitio vertat quod longius ab incepto abierim, id sciat velim, me *Varia* scribere, in quibus frustra sunt, qui ordinem desiderant. Sed tamen redeamus in viam. Fuit minii, præterquam in iis quæ recensuimus, varius & multiplex usus. Cum Roma eò divitiarum nondum venisset, ut auro & argento templa splenderent, cumque simplicior esset Deorum cultus, tunc (ut *Ovidius* aut *in Fastis*)

Juppiter exigua vix notus stabat in æde
Inque Jovis dextra fictile fulmen erat.

Is autem obtinebat mos, ut Jupiter fictilis miniaretur. Patet hoc ex Varrone, qui apud *Plinium Lib.* XXXV. *cap.* 12. auctor est, *Turianum à Fregellis accitum, cui locaret Tarquinius*

Pri-

Priscus effigiem Jovis in Capitolio dedicandam. Fictilem eum fuisse, atque ideo miniari solitum. Neque minus clara sunt quæ idem *Plinius* ex Verrio refert *Lib.* XXXIII. *cap.* 7. *Enumerat*, inquit, *auctores Verrius, quibus credere sit necesse, Iovis ipsius simulacri faciem diebus festis minio illini solitam, triumphantumque corpora: Sic Camillum triumphasse. Hac religione etiam nunc addi in unguenta cœnæ triumphalis, & a Censoribus imprimis Iovem miniandum locari. Cujus rei quidem causam miror: quanquam & hodie id expeti constat Æthiopum populis, totosque eo tingi proceres, huncque ibi Deorum simulacris honorem esse.* Jupiter vero à Minio vocabatur *Minianus*, quod *Cicero* docet *Lib.* IX. *ad* Famil. *Epist.* 16. hisce verbis: *Quod si perseveras me ad Matris tuæ cœnam vocare, feram id quoque. Volo enim videre animum, qui mihi audeat ista, quæ scribis, apponere, aut etiam Polypum MINIANI IOVIS similem.* Non desunt tamen, qui loco *Miniani*, legunt *miniati*, quod profectò non minus arridet. Pana quoque Sylvarum Pastorumque Deum miniari consuevisse, Virgilius testis esse poterit, cujus *Ecl.* X. hæc verba legimus:

Pan Deus Arcadiæ venit, quem vidimus ipsi
Sanguineis ebuli baccis, minioque rubentem.

De Baccho certò constat ex *Pausania in Achaïcis.* Τὸ τοῦ Διονύσου ἄγαλμα ὑπὸ κινναβάρεως ἐπηνθισμένον ἐστιν. *Bacchi simulacrum cinnabari*, (quæ ut ut à minio diversa, promiscuè tamen à multis iisque autori-

bus

bus probatis pro minio usurpatur,) *conspicuum est.* Libet his adjungere testimonium *Arnobii ex Lib.* VI. *adv. Gent.* qui Dei cujusdam, qui Leonis sub facie colebatur, sic meminit: *Inter Deos videmus vestros Leonis torvissimam faciem, mero oblitam minio, & nomine Frugiferi nuncupari.* Nec non *Plutarchi in Quæst. Rom. Quæst.* 97. ἡ δὲ γάνωσις τοῦ ἀγάλματος ἀναγκαία. ταχὺ γὰρ ἐξανθεῖ τὸ μίλτινον, ᾧ τὰ παλαιὰ τῶν ἀγαλμάτων ἔχριον. *Simulacro autem nitorem addi necesse est: facilè enim minium evanescit, quo antiquitus simulacra inducebant.* Sed quæ causa fuerit cur triumphantes minio tingèrentur, quæso, videamus.

Potuit hoc fieri ad Imitationem Jovis cujus multa insignia triumphantibus usurpata fuisse nemini ignotum esse potest. Atque hujus quidem sententiæ fuit. *Justus Rycquius de Capit. Rom. Cap.* XVIII. à quo si me in hoc negotio adjutum negarem, injurius essem optimo & utilissimo scriptori. Magis tamen se mihi approbat *Nicolaus Perottus*, vir, ut ista ferebant tempora, doctissimus, cujus in Martialem commentaria, quæ *Cornu copiæ* vocantur, prætio non habentur suo. *Minio*, inquit, *illini solebant triumphantium corpora. Sic enim fertur Camillus triumphasse: ob eam (ut arbitror) rationem, ut Imperatores horribiliores viderentur; quemadmodum Cæsar Brittannos scribit glasto se inficere, quo horridiores videantur in bello. Glastum herba est plantagini similis, quo Britannorum quoque conjuges nurus-*

nurusque, quibusdam sacris, toto corpore oblinuntur, nudaque incedunt, Æthiopum colorem imitantes. Quæ ultima verba desumpta sunt ex *Plinio Lib.* XXII. *cap.* 1. Cæsaris autem locus, quem respicit, is occurrit *Lib.* V. *de Bell. Gall.* his verbis: *Omnes verò se Britanni glasto inficiunt, quod cæruleum efficit colorem: atque hoc horribiliore sunt in pugna adspectu, capilloque sunt promisso, & omni parte corporis rasa, præter caput & labrum superius.* Id etiam intendebant Æthiopes, qui (ut ait *Alexander ab Alexandro Genial. Dier. Lib.* I. *cap.* 20.) dimidiatum corpus minio, dimidiatum gypso solent illinire. *Herodotus* quoque *Lib.* VIII. auctor est Phocenses aliquando sexcentos viros eorumque arma gypso illinivisse. Illud vero, quod Perottus ait, *minium addi unguentis cœnæ triumphalis ad lavandas manus*, vereor ut recte dixerit: nam puto Plinium indicare minuta unguenta ipsis cibis addita fuisse. Bene enim *Mercurialis Var. Lect. Lib.* II. *cap.* 19. ex Plinio, Plutarcho, & Athenæo constare scribit, Veteres tam potibus, quam cibis unguenta admiscuisse. Ita quippe, ut musicis sonis cantibusque aures, spectaculis visum, eduliis palatum, & variis unguentorum atque florum odoribus nares in conviviis delectare studebant. Quem tamen usum, ut porro ait H. Mercurialis, non primis illis seculis, quando nondum increverat luxus, invectum credimus, sed multo post Hippocratis tempora; apud quem de unguentis variis

ſæpius quidem mentio facta invenitur, at Medicinæ potius, quam ullius libidinis loco. Adhibebatur quoque minium in Epitaphiis ad characteres ſpectabiliores reddendos, quod liquidò conſtat ex *Plinio Lib.* XXXIII. *cap.* 7. *Minium in voluminibus quoque ſcriptura uſurpatur, clarioreſque literas vel in auro, vel in marmore, etiam in ſepulcris facit.* Ita quippe hi tituli clariores fiebant, & tanto facilius à viatoribus legi poterant, uti recte obſervat *Kirchmannus Lib.* III. *de Fun. Rom. cap.* 19. qui multa mutuavit ex *Kornmanni Libro de Miraculis Mortuorum.* Plura hiſce poſſem attexere, niſi jam prolixior fuiſſem in hoc capite. Deſinamus itaque, ubi pauca addiderimus de Caniculariis. Encauſto Imperatorio, quod & purpuramentum dici poteſt, de quo jam ſumus loquuti, ei encauſto conſervando deſtinatum fuit vaſculum, quod à forma caniculi *Caniculus* vocabatur, quales atramentariorum formas & hodie nonnullis in uſu eſſe ſolent. Huic *caniculo* aliquis præficiebatur, qui *Canicularius*, Præpoſitus *Caniculi*, aut *à Caniculo* dicebatur? *Anaſtaſius Bibliothecarius ad* VIII. *Syn. Act.* 10. *Præpoſitus Caniculi eſt*, inquit, *qui curam & cuſtodiam gerit Caniculi*, id eſt, *atramentarii ex quo Imperator Phœniceas literas ſcribit in chartis.* Præficiebantur Caniculo primarii à Secretis, ut *Alemannus* teſtantur, quorum magna dignitas & autoritas fuit, utpote quæ ſolis tantum Imperatoris ſanguine propinquis concederetur. Neque

ſolum

ſolum Canicularius purpuramentum Imperatori miniſtrabat; ſed ſi quid præter nomen ſubſcribendum erat, id manu ſua exarabat. Cujus rei exemplum habemus in Chriſtophoro Baſilii Imperatoris à Caniculo *in fine Syn.* VIII. Id alias plerumque à Quæſtore Palatii vel Magiſtro ſcriniorum fieri conſueviſſe notat *Doct. Gutherius de Offic. Dom. Aug. Lib.* I. *cap.* 35, quem nullam Canicularii mentionem feciſſe valde profecto miror; cum cæteras pleraſque functiones pertractarit accuratiſſime.

CAP. V.

Sex loca ex Herodiano enumerata quibus meminit de prælatione Ignis. Ille mos à Perſis ortus. Sol idem qui Jupiter. Dii mares ſimul & fœminæ. Sol poſt Domitiani tempora præ cæteris Diis à Romanis cultus. Conſecratio. Ab illa originem ducit canonizatio. Ex autoritate Senatus Romani Dii vel colebantur vel rejiciebantur. Gentilium in Diis colendis ſuperſtitio. Perſius illuſtratus.

Recte quidem *Paulus Colomeſius in* Κειμ. *Litera. C.* 8. qui utinam tandem abſolvat quæ in præfatione *Galliæ Orientalis* promiſit, re-

prehendit Balzacium, illum politiſſimum Galliæ ſcriptorem, qui in quadam ad Capellanum Epiſtola hæc verba uſurpaverit: *Le feu, qu'on portoit devant les Empereurs Romains pour marque de Souveraineté, ne ſe trouve qu'en deux lieux dans l'Hiſtoire de Herodian. Ignis, qui in ſignum Imperii Romanis Imperatoribus præferebatur, non niſi bis mentio fit, idque in Herodiani Hiſtoria.* Ipſe tamen reprehenſione non caret, quod quinque tantum loca proferat, cum ſex proferre debuiſſet: niſi quod errorem minuunt hæc verba: *De hac ignis prælatione quinque* minimùm *locis Herodianum agere comperimus.* Non gravabor in rudiorum gratiam ſex illa loca deſcribere, & ideo quidem libentius, quia hujus conſuetudinis nemo inter veteres meminit, præter Herodianum. *Lib.* I. *c.* 8. hæc verba occurrunt: Οὐδὲν ἧττον μέντοι καὶ ὁ Κόμμοδος ἐφύλαττε τὰς τιμὰς τῇ ἀδελφῇ. καὶ γὰρ ἐπὶ τοῦ βασιλείου θρόνου καθῆστο ἐν τοῖς θεάτροις, καὶ τὸ πῦρ προεπόμπευεν αὐτῆς. *Nihilo tamen ſecius priſtinum ſorori honorem Commodus reliquit uſurpandum. nam & cellâ imperatoriâ ſeſſitare in theatro, & ignem de more præferri patiebatur. Eodem libro cap.* 16. dicitur de Marcia Commodi concubina, cui plurimum deferebat, ſic ut eam uxoris loco haberet, ὅτι πάντα αὐτῇ ὑπῆρχεν, ὅσα σεβαστῇ, πλὴν τοῦ πυρός, *omnes ei honores velut Auguſtæ, delatos fuiſſe, præter Ignem. Lib.* II. *cap.* 3. de Pertinace ſic legimus, ὅλως οὐκ εἴασε τὸ πῦρ ἑαυτοῦ προπομπεύεσθαι, οὔτε τι ἄλλο τῶν βασιλικῶν συμβόλων εἰς ὕψος ἀρθῆναι, πρὶν ἢ μαθεῖν τὴν γνώμην τῆς συγκλή-

τῆς βουλῆς. *Quod neque Ignem sibi præferri, neque ulla principatus insignia attolli passus sit, donec senatus sententiam scitaretur. Cap. 8. Ejus. Lib.* dicitur Niger, postquam exercitus, cæterumque vulgus eum Imperatorem salutassent, & Imperatoriâ purpurâ, reliquoque aulico paratu ornassent, καὶ προπομπεύοντος τοῦ πυρὸς, *præcedente etiam igni*, primùm in Antiochiæ templa, mox ad ædes suas deductus fuisse. *Lib.* VII. *cap.* I. narratur de Quartino, ὃν αὐτὸν πορφύρᾳ τε καὶ πυρὶ προπομπεύοντα, ὀλεθρίοις τιμαῖς ἐκόσμησαν, ἐπί τε τὴν ἀρχὴν ἦγον, οὐ βουλόμενον. *Eum purpura prælatoque Igni, funestis scilicet honoribus, condecoratum, nihilque minus optantem, ad Imperium fuiße prolatum.* Ultimus denique locus occurrit. *Eod. Lib. cap. 6*, ubi Herodianus scribit Gordiano, cum jam Imperator esset salutatus, προπομπεῦσαι τὸ πῦρ, τάς τε ῥάβδους δαφνηφορῆσαι, ὅπερ ἐστὶ σύμβολον εἰς τὸ διαγνῶναι τοὺς βασιλικοὺς ἀπὸ τῶν ἰδιωτικῶν, *Ignem fuisse prælatum, & virgas laureatas, quo insigni Principes à privatis dignoscuntur.* Unde procul dubio est, quod in veteribus numismatis ante faciem Regis vel Imperatoris Romani ardens flamma conspiciatur. Hic parùm se mihi probat J. Lipsius, qui in *Commentariis ad Tacitum P.* 16. *Edit. anni* 1600, illum ignem non fuisse putat è carbonibus aut ligno, qualis ille apud Horatium prunæ batillus; sed lampadem tantum. Locus enim *Marci Antonini. Lib.* I. τῶν εἰς ἑαυτὸν, §. 14. parum ad rem facit, cum ibi

C 2 loqua-

loquatur de lampadibus, quæ inter ſigna & ſtatuas ponebantur: vel de ſimulacris, quæ manibus lampadas geſtabant, de quibus *Lucret. Lib.* II.

Si non aurea ſunt juvenum ſimulacra per ædes
Lampadas igniferas manibus retinentia dextris,
Lumina nocturnis epulis ut ſuppeditentur.

Quamquam, ut verum fatear, non omnino à me ſtant duo ſummi Viri, qui in Antoninum ſcripſerunt *Mericus Caſaubonus & Thomas Gatakerus.* Hærent ipſi, quid ſtatuant incerti. Quod hic quidem expreſſim profitetur: ille vero aliud in notis Anglicis, aliud in Latinis ſentit. Sed mihi non facile quis perſuaſerit Herodianum totiens Ignem inuſitato loquendi modo fuiſſe dicturum, ſi lampadem ſignificare voluiſſet. Quid vero iſti conſuetudini originem dederit, non ita facilè eſt indicare. Quæ CL. *Bœclerus* ad primum illum, quem ex Herodiano citavimus, locum notat, ratione non carent, ac proinde inſpicienda ſunt. Minus tamen (quod cum bona venia Viri doctiſſimi dictum velim) arrident, quibus notam claudit: *De cætero, non abſurde cogitarent, qui crediderit, Romanos de occulto præcipuoque Imperii pignore, id eſt, Veſta cogitaſſe, cum Ignem Imperatoribus ſuis auſpicii ſingularis & fatalis ergo, ut opinabantur de Veſtali Igne, præferrent.* Melius, meo judicio, CEL. Lipſius, qui opinetur Romam traductum morem è Per-

Persis: illorum enim Regi Ignis præferri solebat. Huc facere videtur *Curtius Lib.* III. *cap.* 3, qui motionem Castrorum Darii sic describit: *Die jam illustri signum è tabernaculo Regis buccina dabatur. Super tabernaculum, unde ab omnibus conspici posset, imago Solis crystallo inclusa fulgebat. Ordo autem agminis talis erat. Ignis, quem ipsi sacrum & æternum vocabant, argenteis altaribus præferebatur, Magi proximi*, &c. Clarissimum vero est *Xenophontis* Παιδ. *Lib.* VIII. testimonium, quod non pigebit integrum describere. Ἐπεὶ δὲ ἀνεπετάννυντο αἱ τοῦ βασιλείου πύλαι, πρῶτον μὲν ἤγοντο τῷ Διῒ ταῦροι πάγκαλοι εἰς τέσσαρας, καὶ οἷς τῶν ἄλλων θεῶν οἱ μάγοι ἐξηγοῦντο. πολλοὶ (al. πολλῷ vel πολὺ) γὰρ οἴονται Πέρσαι χρῆναι τοῖς περὶ τοὺς θεοὺς τεχνίταις χρῆσθαι, ἢ περὶ τἆλλα. Μετὰ δὲ τοὺς βοῦς ἵπποι ἤγοντο, θῦμα τῷ ἡλίῳ. Μετὰ δὲ τούτους ἐξήγετο ἅρμα λευκὸν χρυσόζυγον, ἐστεμμένον, Διὸς ἱερόν. μετὰ δὲ τόδε ἡλίου ἅρμα λευκὸν, καὶ τοῦτο ἐστεμμένον, ὥσπερ τὸ πρόσθεν. μετὰ δὲ τοῦτο ἄλλο τρίτον ἅρμα ἐξήγετο, φοινικίσι καταπεπταμένοι οἱ ἵπποι, καὶ πῦρ ὄπισθεν αὐτοῦ ἐπ' ἐσχάρας μεγάλης ἄνδρες εἵποντο φέροντες. *Patefactis autem Regiæ portis, primùm agebantur tauri quaterni, perpulcri sane & Jovi cæterisque Diis, quibus Magi censuerint, victima futuri: sic nempe Persæ statuunt, erga Deos magis, quam aliis in rebus hominibus peritis utendum esse. Post boves agebantur equi, sacrificium Soli. Hos sequebatur currus albus jugo aureo & coronis ornatus, qui Iovi sacer erat. Tum solis currus veniebat, & ipse albus, ac coronis, ut prior, ornatus. Denique tertius currus agebatur cujus equi strati erant puniceis amictibus, & quem se-*

quebantur, qui ignem ferebant in magno foco. Post hos omnes ipse Cyrus prodibat in conspectum. Anne autem hic ignis carmine sacerdotum incenderetur, & vocum quarundam murmuratione (unde *cantatus ignis*, de quo vide Doct. *Heinsium in Primum Lib. Sil. Italici P.* 334.) hactenus mihi liquido constare non potuit. Si quis autem modum præferendi Regibus ignem apud Persas usitatum aliquanto plenius descriptum videre cupiat, is adeat *Cælium Rhodiginum Lect. Antiq. Lib.* VIII. *cap.* 2. Scribit *Leunclavius Hist. Turcicæ Lib.* I. hunc sacrum ignem, quem *Orimasda* appellant, & antiquissimo cultu Solis loco venerabantur, extinctum fuisse circa tempus nativitatis Muhammedis. Hoc in ejus gloriam Muhammedani trahunt. Neque apud Persas tantum; sed etiam apud Asiaticos ille mos obtinuit. Testem heic habeo optimæ frugis scriptorem *Ammianum Marcellinum*, ex cujus *Lib.* XXIII. *Edit. Lindenbrogianæ P.* 272. hæc verba pono: *Feruntque Magi, si justum est credi, etiam ignem cælitus lapsum apud se sempiternis focis custodiri, cujus portionem exiguam, ut faustam, præisse quondam Asiaticis Regibus.* Atque hæc quidem ex Lipsii sententia scribo, cum mihi multo sit verisimilius *Marcellinum* per Asiaticos Reges non alios indigitasse à Persarum Regibus. Nam Persidem in Asia sitam, & inter Asiaticas Regiones maxime celebrem fuisse nemo in Geographia tam rudis est, qui ignoret. Spartanos

quo-

quoque hoc moris habuisse bene ex Xenophonte docet Cl. *Freinshemius Comment: in Curtium Lib.* IV. *C.* 14. *§.* 24. Unde vero is mos apud Romanos, & quando invaluerit, quam potis est compendiose declarare instituimus, ita tamen ut prius veniam petamus, si forsitan nos labi contigerit, in re necdum satis in apricum, quod quidem scimus, productâ. Atque illud quidem opinor, mihi nemo negabit ignem esse Solis symbolum, neque aliud Persas in Igne coluisse quam Solem, quem illi Patrio sermone Mitsram vocabant. Hoc etiam constat, primos quos homines pro Diis venerati sunt, fuisse Ignes cœlestes, & maxime quidem Solem. Digna sunt lectu, quæ hac de re occurrunt apud *Doct. Seldenum de DIs Syris in Prolegomenis C.* 3. *& Beyerum in Additamentis.* Neque hoc in dubium vocari potest Soli ea à plerisque tribui, quæ âliâs Jovi adscribi solent: unde recte statuerimus Sôlem sub multis olim nominibus plerumque solum cultum fuisse. Solem autem eundem cum Jove esse *Plutarchus* aperte docet in *Quæst. Rom.* Δεῖ δὲ μὴ νομίζειν ἁπλῶς εἰκόνας ἐκείνων τούτους, ἀλλ' αὐτὸν ἐν ὕλῃ Δία, τὸν ἥλιον, καὶ αὐτὴν τὴν Ἥραν ἐν ὕλῃ σελήνην. *Neque ita simpliciter censendum est hos istorum esse Imagines, sed ipsum in materia Jovem esse Solem ipsamque in Materia Junonem esse Lunam.* Multæ sunt præterea inscriptiones, quæ hoc ipsum testantur, inter quas non infimo loco hæc ponenda est, quæ legitur Dentini, & à *Buxhornio* describitur:

IOVI. SOLI.
INVICTO. SERAPIDI.
T. ÆLIVS. ANTIPATER.
PROC. AVGG. CVM. VMBRICIA
BASSA. COVIVGE. GRATIAS.
AGENTES. POSVERVNT.

Cum autem in eo Jovis principatum constituerent, quod omnium autor esset, omnia que in se complecteretur, ut videre est apud *Aratum initio φαινόμ. plusculis versiculis*, unde ipse Apostolus Paulus hemistichium desumpsit: id quoque Soli adscripserunt. Hic non minus, quam Jupiter, Omnipotens audit & πάντα ἐφορῶν καὶ πάντα ἐπακούων, *Omnia videns & omnia audiens*. Per Jovem jurarabant, & ad illum omnia juramenta referebant, etiamsi Jovis nomen in Jure-jurando non exprimebatur, uti recte *Heinsius* observat *ad Silium Italicum ipso Notarum initio*. Neque minus tamen per Solem cujus exempla cum plurima possemus, duo tantùm notabimus. Prius sumptum est ex *Ovidio Metam. Lib.* III. vs. 658. &c.

Per tibi hunc ipsum (neque enim præsentior illo
Est Deus) adjuro, tam me tibi vera referre,
Quam veri majora fide.

Verum quidem est, ibi de Baccho sermonem esse: sed Bacchum eundem plane cum Sole veteres statuisse, ei ignotum esse non potest, qui vel à limine hunc Deum salutaverit. Adi *Macrobium*

Lib.

Lib. I. *Saturn. cap.* 18. *& Laurentium Pignorium tractatu, cui titulus MAGNÆ DEUM MATRIS IDÆÆ ET ATTIDIS INITIA.*

Posterius ex *Juliano in Misopog.* καὶ τούτου μάρτυρα καλῶ τὸν μέγαν ἥλιον πρὸς τοὺς ἀπιστοῦντας. *Et hoc quidem verum esse, si quis dubitat, testor Magnum Solem.* Vide *Beyerum ad Seldenum de DIs Syris P.*77. &, a quo Beyerus sumpsisse videtur, *Joan. Pricaum ad Apuleji Metamorph. P.* 11. Huc referri potest, quod *Pseudo-Clemens* dicit in *Constitutionibus Apostolicis Lib.* II. *cap.* 52. *vel, ut alii*, 46. Apud Gentiles, qui suffragium de Capite contra aliquem loquutus est, sublatis manibus Solem testari, innocentem se esse ac mundum à sanguine hominis illius. Id etiam veterum superstitio de Jove statuit, Marem eum esse ac fœminam, quo nihil aliud velle videtur, quam Deum sexu non distingui, omnia ipsum esse, & in ipso omnia. Juvat hic describere quæ ex *Orpheo* citat *Apuleius de Mundo prope finem*, ne quod non sunt notissima; sed quod mihi admodum ad rem nostram facere videantur.

Ζεὺς πρῶτος γένετο, Ζεὺς ὕστατος, ἀρχικέραυνος.
Ζεὺς κεφαλή, Ζεὺς μέσσα, Διὸς δ' ἐκ πάντα τέτυκται.
Ζεὺς πυθμὴν γαίης τε καὶ οὐρανοῦ ἀστερόεντος.
Ζεὺς ἄρσην γένετο, Ζεὺς ἄμβροτος ἔπλετο νύμφη.
Ζεὺς πνοιὴ πάντων. Ζεὺς ἀκαμάτου πυρὸς ὁρμή.
Ζεὺς πόντου ῥίζα. Ζεὺς ἥλιος, ἠδὲ σελήνη.
Ζεὺς βασιλεύς. Ζεὺς ἀρχὸς ἁπάντων ἀρχιγένεθλος.
Πάντα γὰρ κρύψας αὖτις φάος ἐς πολυγηθὲς.
Ἐξ ἱερῆς κραδίης ἀνενέγκατο μέρμερα ῥέζων.

Primus cunctorum est, & Jupiter ultimus idem.
Jupiter & caput & medium est: sunt ex Iove cuncta.
Jupiter est terra basis & stellantis Olympi.
Jupiter & mas est, estque idem nympha perennis.
Spiritus est. cunctis validusque est Jupiter ignis.
Iupiter est Pelagi radix. Est Lunaque Solque.
Cunctorum Rex est. Principsque & originis autor:
Namque sinu occultans, dulces in luminis oras.
Cuncta tulit sacro versans sub pectore curas.

Neque minus Sol & Vir & Fœmina est. in quam rem *Catulliana* hæc verba cito, quibus Attis de se loquitur *Epig.* 64.

Quod enim genus figuræ est, quod ego non habuerim?
Ego Mulier, ego Adolescens, ego Ephebus, ego Puer,
Ego gymnasii fui flos, ego eram decus olei.

Hunc autem Attidem eundem esse cum Sole tum ex *Arnobio* discimus, tum potissimum ex *Macrobio Lib.* I. *Saturnal. cap.* 21. Ne vero plura coacervemus, quibus Solem omnia cum Jove communia habuisse constat; id solum dicimus, ut quidam omnes Gentilium Deos ad Jovem retulerunt, ita ad Solem itidem omnes referri posse. Vide *Macrobium Lib.* I. *Satur. cap.* 17. &

sex

sex seqq. nec non, quæ haud ita pridem scripsit *Alexander Rossæus libro cui titulum fecit, De Mundi Religionibus.* Hinc est, quod Sol non raro θεὸς sive Deus κατ' ἐξοχὴν vocatur, ut recte observat *Heraldus ad Arnobium P.* 31. Hîc addere libet illud quod statim de Jove sive Sole dicebamus, Marem eum esse & fœminam, de cæteris quoque Diis apud Gentiles dictum reperiri. Postquam enim πολυθεΐα invalescere cœpit, omnia ea, quę Deo primo tributa erant, & cæteris tribuerunt. Sic Lunæ & Luni sæpius antiqui meminerunt. Venus quoque mascula & barbata colebatur. Minerva ἀῤῥενόθηλυς dicebatur, id est, utroque sexu prædita. Quod in Baccho quoque & Vulcano locum habuit. Facile esset hæc variis multisque ex autoribus probare, sed actum agere, quod ajunt, non volumus. Consule *Clar. Vossium in diffusæ eruditionis Thesauro de Idololatria Gentili Lib.* VII. *nec non. Elegantissimum Cuperum Observat. Lib.* II. *cap.* I. *& Buxhornium in Quæstionibus Romanis cap.* 13. Bardesanes ille, qui de Brachmanibus & Samanæis Indorum Philosophis conscripsit, cujusdam Indorum idoli meminit, cujus τὸ μὲν δεξιὸν τῆς ὄψεώς ἐστιν ἀνδρεικὸν, τὸ δὲ εὐώνυμον θηλυκόν; *pars dextra faciei virilis, sinistra muliebris est. Manethon* Ægyptius *Apotelesmaticῶn libris*, qui nusquam alibi quam in Bibliotheca Medicea reperiuntur, astra non filios, ut fit a plerisque, sed filias Jovis facit:

Αὐ-

Α'υτὰρ ἐγὼ Μούσῃ καὶ αἰθερίοισιν ἅμ' ἄστροις
Ε'υξάμενος, λιγυρὸν ὕμνον ἐμὴν καταπαύσω ἀοιδήν.
Α'στέρες εὐφεγγεῖς, Διὸς αἰγιόχοιο θύγατρες, &c.

Caterum ego, postquam Musam & atherea astra precatus fuero, carmen meum, stridulum hymnum, finiam. Astra splendentia, qua filia estis Iovis à capra enutriti, &c. Vide unde hoc sumpsi, *Alexandrum Morum*, quem ut ut ejus vita fuerit, certe doctissimum fuisse constat, *Notis ad N. Test. P.* 123. Sed ne in latissimo hoc campo exspatiemur longius, quam nostri fert instituti ratio, addemus tantum *Vossii* verba, desumpta ex eo, quem nominabam modo, thesauro *Lib.* VII. *cap.* 6. *Veteres quidam Philosophi* (*Stoici pra cateris & Platonici*) *in naturâ attenderunt vim activam & passivam, & proinde eam tum marem, tum fœminam dixere. Marem secundùm illud, quod vim in alia exserit: faminam, qua vim alienam recipit, & quasi facundatur. Quia vero hoc universa convenit natura, & singulis ejus partibus, sive Diis eas partes denotantibus tributum a Theologis fuit.* Jam itaque pergamus. Post Domitiani tempora tanto in prætio apud Romanos Sol esse occepit, ut fere alii Dii præ hujus cultu sordescerent. Non minus Romæ, quam olim apud Persas Mithra colebatur, cujus quidem sacra etiam sub Christianis Imperatoribus aliquam diu durarunt. Hujus rei, dum cogito, duas potissimum causas invenio, quarum unam ad homines refero, alteram ad diabolum. Cum ea quæ

de

de Diis cæteris narrarentur absurda esse homines viderent, eo rursus prolapsi sunt, ut Solem potissimum, à quo in mortales maxima commoda derivantur, Deum & præ cæteris colendum esse judicarent. Et, si verum fateri volumus, minus crasse errarunt illi, qui Solem, quam qui homines, consecratos licet, & inter Deos relatos, qui animalia, qui terræ fructus & his aliquando pejora, divinis prosequebantur honoribus. Accessit Diaboli dolus, qui Deo, quà potest obnitens, in ludibrium Religionis Christianæ Mithræ sacra promovit, quæ Christianis admodum similia cum essent, magnum inde commodum speravit. Ità quippe Dei Simia solet, & veritate ad mendacium abutitur. Si quid à Deo recte atque ordine factum est, ut fiunt omnia, id corrumpit mala æmulatione, & medicinam vertit in venenum. Quod igitur ex divino instituto apud Christianos obtinebat, id quoque, curante Diabolo, apud Mithræ cultores obtinuit. Lavacro enim tingebant, & signabant in fronte suos, & speciem Eucharistiæ habebant, martirii etiam initiationem, & resurrectionis opinionem. Audiamus *Justinum Martyrem in Apol.* II. *pro Christ: non longe a fine.* Οἱ γὰρ Ἀπόστολοι ἐν τοῖς γενομένοις ὑπ' αὐτῶν ἀπομνημονεύμασιν, ἃ καλεῖται εὐαγγέλια, οὕτως παρέδωκαν ἐντέταλθαι τὸν Ἰησοῦν, λαβόντα ἄρτον, εὐχαριστήσαντα εἰπεῖν, ΤΟΥ͂ΤΟ ΠΟΙΕΙ͂ΤΕ, ΕἸΣ ΤῊΝ ἈΝΆΜΝΗΣΙΝ ΜΟΥ. ΤΟΥ͂Τ' ἘΣΤΙ ΤῸ ΣΩ͂ΜΆ ΜΟΥ. καὶ τὸ ποτήριον ὁμοίως λαβόντα καὶ εὐχαριστήσαντα εἰπεῖν. ΤΟΥ͂ΤΌ ἘΣΤΙ ΤῸ ΑἿΜΆ ΜΟΥ, καὶ μόνοις αὐτοῖς μεταδοῦναι, ὅπερ καὶ ἐν τοῖς τοῦ Μίθρα μυστηρίοις παρέδω-

καν

καὶ γενέσθαι μιμησάμενοι οἱ πονηροὶ δαίμονες. ὅτι γὰρ ἄρτος καὶ ποτήριον ὕδατος τίθεται ἐν ταῖς τοῦ μυουμένου τελεταῖς μετ' ἐπιλόγων τινῶν, ἢ ἐπίστασθε, ἢ μαθεῖν δύνασθε. *Apostoli enim in Commentariis à se conscriptis, quæ Euangelia vocantur, ita tradiderunt præcepisse Iesum, & dixisse cum sumpto pane gratias egisset: HOC FACITE IN MEI MEMORIAM: HOC EST CORPUS MEUM. Et similiter cum sumpto poculo itidem gratias egisset hæc verba protulisse: HIC EST SANGUIS MEUS, & ipsis solis tradidisse. Quod quidem pravi dæmones imitati etiam fieri præceperunt in Mithræ sacris. Scitis enim, vel scire potestis morem esse in initiationibus, ut panis ponatur cum poculo aquæ, & certa verba addantur.* Neque minus clara sunt *Tertulliani* verba *Lib. de præscript. Hæret. Sed quæritur*, inquit, *a quo intellectus interpretum eorum, quæ ad hæreses faciant? à Diabolo scilicet, cujus sunt partes intervertendi veritatem, qui ipsas quoque res Sacramentorum divinorum, in Idolorum mysteriis æmulatur. Tingit & ipse quosdam, utique credentes & fideles suos; expiationes delictorum de lavacro repromittit, & sic initiat Mithræ; signat illic in frontibus milites suos, celebrat & panis oblationem, & imaginem resurrectionis inducit, & sub gladio redimit coronam.* Quid sit autem *gladio redimere coronam*, ex ipso *Tertulliano* docemur *Lib. de Cor: Milit.: Erubescite Romani commilitones, jam non ab ipso [Christo] judi-*

judicandi, sed ab aliquo Mithræ milite, qui cum initiaretur in spelæo, in castris nempe tenebrarum, coronam interposito gladio sibi oblatam quasi mimum martyrii, dehinc capiti suo accommodatam, monetur obvia manu capite depellere, & in humerum, si forte, transferre, dicens: Mithram esse coronam suam. Atque exinde numquam coronatur; id quod in signum habet ad probationem sui, sicubi tentatus fuerit de Sacramento: statimque creditur Mithræ miles, si dejecerit coronam, si eam in Deo suo esse dixerit. Agnoscamus ingenia Diaboli, idcirco quædam de divinis affectantis, ut vos de suorum fide confundat, & judicet. De reliquis autem initiationis ritibus, & nominibus eorum, qui Mithræ operabantur, vide *Thomam Reinesium*, criticum summum, *Epistolis ad Hofmannum & Rupertum P.* 644. Atque ex hoc Mithra sive Sole Basilidiani finxerunt suum Abraxam, uti recte solideque probat *Joannes Macarius in Abraxa Apistopisto*, cui subjunctus est egregius *Joannis Chifletii commentarius de Abraxa Proteo*, lectu profecto dignissimus. Quin & Julianus ille Apostata, quem existimo non doctissimum modo, sed & optimum Principem fuisse, si maluisset.

—— *Laudare Deum, cui sordida monstra*
Prætulit & liquidam temeravit crimine vocem,

Ut olim de Symmacho canebat *Prudentius*: Is, inquam, *Julianus*, cum a vero Deo defecisset,

non ad alium conversus fuit, quam ad Mithram suum, id est, Solem. Id patet tum ex hymno, quem in Solem scripsit, tum ex his verbis, quibus Satyram claudit, quâ Imperatores, qui sibi præcesserant, acriter quidem, at eleganter pupugerat; quam Satyram ante aliquot annos nondum ex ephebis egressi ex Græco in Belgicum transtulimus sermonem, & aliquando correctam revisamque dabimus in lucem: Σοὶ δὲ, πρὸς ἐμὲ λέγων ὁ Ἑρμῆς, δέδωκα τὸν πατέρα Μίθραν ἐπιγνῶναι. σὺ δὲ αὐτοῦ τῶν ἐντολῶν ἔχου, πεῖσμα καὶ ὅρμον ἀσφαλῆ ζῶντί τε σεαυτῷ παρασκευάζων, καὶ ἡνίκα ἂν ἐντεῦθεν ἀπιέναι δέῃ, μετὰ τῆς ἀγαθῆς ἐλπίδος, ἡγεμόνα θεὸν εὐμενῆ καθίστα σεαυτῷ. *Postremo ad me conversus Mercurius, Tibi vero, inquit, hoc dedi, uti Solem agnosceres Patrem, cujus tu præcepta sequere, atque ita te para uti is perfugium tibi tutusque portus in omni vita sit: post vero, ubi emigrandum illinc erit, plenus bonæ spei, hunc tibi Deum fac propitium viæ ducem.* Cum igitur Romani Solem præ cæteris Diis Persas imitati colere cæpissent, Ignem quoque, quod olim Persarum fiebat Regibus, Imperatoribus in Imperii signum prætulere: adeo ut cum Solis illo cultu hic mos simul invaluerit. Quem quidem Principibus tanto gratiorem fuisse existimo, quanto magis augebat divinitatis opinionem, quam illi sibi arrogare non erubescebaut. Idem enim & Symbolum Dei &. Imperii esse signum ostendebat eandem fere Imperantibus cum Deo sortem esse. Quam vero Romani Cæsares cupidissimi essent haberi

pro

pro Diis, Soli lucem fœnerari merito censerer, si ostenderem. Notum est ex *Suetonio* de Domitiano, qui formalem epistolam cum dictaret procuratorum suorum nomine, sic cœpit: *Dominus & Deus noster sic fieri jubet.* Idem quoque affirmat *Aurelius Victor* cujus verba, quia notatu digna sunt, subjungam: *Major libidinum flagitio, ac plus quam superbe utens patribus: quippe qui se Dominum Deumque dici coegerit: quod confestim ab insequentibus remotum, validius multo posthac deinceps retulere.* Non ipse quoque Augustus, cætera egregius Princeps, hoc vitio caruit. Nec tantum oculis suis quiddam divini vigoris inesse putabat, gaudebatque si sibi quis acrius contuenti, quasi ad fulgorem Solis, vultum submitteret; sed inter convivas ipse, pro Apolline ornatus, considebat. Unde postridie acclamatum est, *Frumentum omne Deos comedisse, & Cæsarem esse plane Apollinem; sed Tortorem.* Et profecto non adeo mirandum est Cæsares, dum viverent, divinos affectasse honores, cum scirent priores Principes inter Deos relatos, & idem se post mortem consequuturos sperarent. Cur enim ipsi Dei non essent, qui alios fecissent Deos? Sic nempe *Manilius* sequitur de Augusto, qui primum post Romulum J. Cæsarem consecravit:

Jam facit ipse Deos, mittitque ad sidera numen;
Majus & Augusto crescit sub Principe cœlum.

Huc facit etiam *Juliani* jocus in Augustum, qui est in elegantissima illa, cujus jam memini Satyra: Πολλὰ εἶπεν ὁ Σειληνὸς, καὶ θεῶν ὄντως σωτήρων ἔργα δέοντα συνεφόρησεν οὗτος ὁ κοροπλάστης. εἶτα ἔφη διά τι τοῦτο τὸ ὄνομά μοι γελοῖον οὕτως ἔθου; Ἦ γὰρ οὐκ ἔπλαττες ἡμῖν, εἶπεν, ὥσπερ ἐκεῖνοι τὰς νύμφας, ὦ σεβαστὲ, θεοὺς, ὧν ἕνα καὶ πρῶτον τουτονὶ Καίσαρα. *Inter hæc Silenus, iste vero, inquit, pupparum effictor multa nobis Deorum tutelarium simulacra congessit. Unde tu, ait Augustus, istud jocosum nomen mihi das? Quid vero, inquit Silenus, annon sicuti illi Nymphas, ita tu nobis, Auguste, effinxisti Deos, quorum unus & primus, ecce, hic Cæsar est.* Facile hic nobis esset multa addere de Imperatorum consecratione, quam Græci ἀποθέωσιν vocant, cujus ritum egregie inter Veteres *Herodianus* describit *Lib.* IV. *cap.* 2. sed si quid in hac materia post *Onuphrium Panvinium*, *Dempsterum*, *Kirchmannum*, *Gutherium* aliosque viros præclarissimos conarer, merito in me conveniret illud adagium: *Post Homerum Iliada. Buxhornii* tantum verba, quibus utitur in quadam *de Theologia Paganorum* oratione, faciam mea: *Principibus*, inquit, *terrarum jam fato functis factus est in cœlum aditus, & adscriptum nomen divinitatis. Sic adulationi patuit latissimus campus, in quo posset grassari. Dii facti, qui Deorum in terris expresserant imaginem. Dii facti, qui quamquam libenter voluissent, non poterant tamen diutius inter homines extare. Sic ut initium divinitatis esset vitæ finis,*

finis, *& maluissent Principes diutius interesse mortalium cœtibus*, *quam vixisse & sic inter Deos collocari.* Vide, si vacat, quæ in hanc rem scripsit *Lactan. Lib.* I. *de Fals. Rel. cap.* 8. *&* 15. *nec non Commentatores ad Lactantium. Etiam Plinium Hist. Naturalis Lib.* II. *cap.* 7. ubi inter alia sic loquitur; *Hic est vetustissimus referendi benemerentibus gratiam mos, ut tales numinibus adscribantur. Quippe & omnium aliorum nomina Deorum, & quæ, supra retuli siderum, ex hominum nata sunt meritis.* Græcos enim, Romanos. aliasque nationes in Deorum numerum referre consuevisse, à quibus insignia beneficia acceperant, præter alios docuit *Augustinus*, quem adi *de Civit. Dei Lib.* II. *cap.* 5. *& ibi Coqueum.* Atque hunc quidem ritum in Christianismum invectum esse jure quis miretur. Quod tamen nemo inficias iverit; qui illam, quam barbare vocant canonizationem recte perpenderit. Per hanc enim Sancti inter Divos, ut olim Imperatores, referuntur. Quam quidem relationem *Liber cerimoniarum Ecclesiæ Romanæ Divorum nostrorum Apotheoses vocat.* Quando autem hæc Canonizatio inceperit litigant & adhuc sub judice lis est. Quo vero pacto fiat, id certo constat ex *Cerimonial. Rom. Lib.* I. *Sect.* 6. *Fol.* 64. *Edit. Colon.* 1558. Non pigebit pluscula illinc describere, quia plurimos esse credo, qui ignorent. *Postquam*, ipsissima verba pono, *increbescente fama de excellentia vitæ, opinione sanctitatis & miraculo-*

culorum corruſcatione , ſummus Pontifex ſæpe fuerit per Reges , Principes ſeu populos certior factus, rogatuſque ut aliquem vitâ jam functum adſcribendum Sanctorum catalogo , & venerandum ut ſanctum decernat, committuntur aliqui Prælati in partes illas, ubi Sanctus ille vixit & mortuus jacet. Horum eſt ſolerter de famâ, opinione & devotione populorum circa ſanctum illum inquirere : quam inquiſitionem in genere & ſine teſtium juridica examinatione facere debent, & quæ invenerunt, ſuis literis ad ſummum Pontificem fideliter referre. Pontifex interea Commiſſariorum relationem proponit ſacro collegio. Poſtea his aut aliis Prælatis committitur in provincia teſtes examinandi de Sanctimonia vitæ, fide & miraculis illius ſancti: quæ teſtimonia deinde Auditoribus S. Palatii examinanda traduntur , ut videant, an inquiſitio & probatio ſit legitima & ſufficienter facta. Poſt multas deinde cerimonias, inquiſitiones ulteriores , teſtium examina , quæ hic referre longum, Papa ſtatuta die canonizationis cum Cardinalibus, Prælatis & Officialibus deſcendit ad Eccleſiam : ad porticum Sancti Petri excipitur à Clero urbis ad modum ſupplicantium parato : intrat eccleſiam & aſcendit ſuggeſtum cum Prælatis & aliis Officialibus, referens ſummarie vitam & miracula canonizandi &c. Tunc Procurator cauſæ inſtanter petit à Pontifice nomine procuratorio & nomine Principum &c. pronunciari & declarari beatum N. in ſanctorum catalo-

logum adscribendum, & sanctum venerandum à Christi fidelibus. Pontifex antequam pronuntiet, solet protestari hanc in formam: Protestamur publice apud vos præsentes, quod per hunc actum canonizationis non intendimus aliquid facere, quod sit contra fidem aut ecclesiam catholicam sive honorem Dei. Sunt aliqui clarissimi Viri, qui dicunt hoc introductum ex quadam causa, quæ nunc cessat, quia Papa tunc quodammodo cogebatur ad canonizandum quendam contra suam opinionem, & propterea protestabatur. Dein alta voce, sedens tamen cum mitra, pronuntiat hunc in modum: Ad honorem sanctæ & individuæ Trinitatis, & exaltationem fidei catholicæ ac Christianæ religionis augmentum, autoritate ejusdem Dei Omnipotentis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & beatorum Apostolorum Petri & Pauli & nostra, de Fratrum nostrorum consilio decernimus, definimus, bonæ memoriæ N. Sanctum esse & Sanctorum catalogo adscribendum, ipsumque catalogo hujusmodi adscribimus, statuentes ut ab universali Ecclesia anno quolibet in die tali festum ipsius & officium ejus devote & solemniter celebretur. Hæc eadem citat ille, qui notas scripsit ad *Taxæ Cancellariæ & Pænitentiariæ Apostolicæ*, librum, qui habeatur, multis de causis dignissimum, *pag.* 167. Multa mihi se hîc offerunt, quæ dicerem in hanc canonizationem, nisi Theologum non agere decrevissem. Istud meritò mirari subit eò impietatis homines, eosque Christia-

 nos,

nòs, prolabi, ut ipſi, pulvis & umbra cum ſint, mortuos quoſdam divino cultu proſequendos eſſe, decernere non erubeſcant? Quam ignari videntur illius præcepti, quod jubet ne alii divinum honorem tribuamus præter Deum, unicum illum ac verum, οὗ ϗ γένος ἐσμὲν, *genus à quo ducimus noſtrum?* Imitantur plane gentilem Romanorum ſenatum, ex cujus autoritate Dii vel colebantur, vel rejiciebantur: adeo ut ne Imperatori quidem privatas inducere religiones, aut novum aliquem Deum conſecrare liceret. Hinc factum eſt, quod Tiberius de Chriſto in Deorum numerum tranſferendo ad Senatum tulerit: quanquam poſtea cum ſenatorius honos principali faſtigio, ut ait non nemo, velut ſidus Solis lumine conderetur eam ſibi autoritatem Imperatores cum cæteris Reipublicæ muniis aſſumpſerint. Eos igitur tantum Populus Romanus Deos habebat, quos Senatus decreviſſet, vera ratus, ut eſt apud *Prudentium*, quæcunque fiunt autore Senatu. Unde in hiſtoria B. Apollinaris Martyris Meſſalino vicario ſuadentis ut Chriſtum coleret, vicarium ipſi dixiſſe traditur: *Tu mihi perſuadere non potes ut ego Deos ſequar ignotos, qui à Senatu præcepti non ſunt.* Neque tantum à Senatu Dii conſecrabantur; ſed quibuſdam jus concedebatur hæreditatem adeundi, legatum capiendi, fideicommiſſum, aliudve mortis cauſa relictum recipiendi, quod non omnibus, ne ſelectis quidem, majorumque quaſi gentium Diis, promiſcue licuit.

Quia

Quin & jus trium liberorum hanc ob causam Diis dabatur, ut patet ex loco quodam Dionis, quem citat Tolosani Senatus quondam Præses *P. Faber* *Lib.* III. *Semest. Cap.* 1. quem de hac re operæ prætium est consulere. Si quis autem scire desideret, qui fuerint Romanorum proprii Dii, quive cum Græcis communes, is adeat *Salmasium in eruditissima ad Ægidium Menagium Epistola*, pro Balzacio adversus Heinsium scripta, unde quoque petas licet, quid de Diis Consentibus, νοητοῖς, & αἰσθητοῖς sentiendum sit. Quis non in cachinnos solvitur, ejusmodi Deos dum cogitat? Quis Gentilium non ridet ineptias, aut quis potius non deplorat insaniam? Cum istud demum Dei sit mortales juvare eorumque commoda promovere, ipsi mortales videri volebant suos juvare Deos, & eorum commodis inservire. Apage istiusmodi numina, quibus bene non esset, absque hominibus si essent; imo qui ne sint quidem extra stolidorum animum, Quisquam ne adhuc his Diis se credere ausit, quos pius ille Æneas apud Virgilium *victos* esse agnoscit? Sic nempe *Lib.* II. *Æneid*: loquitur.

Ecce autem telis Pantheus elapsis Achivis,
Pantheus Otriades arcis Phœbique sacerdos,
Sacra manu, VICTOSQUE Deos, parvumque nepotem
Ipse trahit, cursuque amens ad litora tendit.

Digna sunt legi, quæ de hac re occurrunt apud *Augustinum de Civit. Dei Lib.* I. *cap.* 3. quæ-

que ad eum locum notat doctissimus Hispanus *Ludovicus Vives*. Hosce tamen Deos summis Ethnici prosequebantur honoribus, & superstitiose colebant. Neque solùm eos adoraturi caput venerationis ergo velabant, quod ex plurimis scriptoribus patet: sed & ipsa templorum limina osculis converrebant, ut alibi loquitur *Arnobius*. Hoc etsi paulo videatur abjectius, factum tamen à Romanis in magnis rerum difficultatibus.

Tanta adeo, cum res trepidæ, reverentia Divum
Nascitur, & raræ fumant felicibus aræ:

ut recte à *Silio* dicitur. Adeundus hîc est Nobil. *Janus Dousa Præcidaneis in Tibullum cap.* 2. Mulieres quoque ante Deorum simulacra procumbebant, crinibusque suis verrebant pavimentum, uti clarè docet *Heraldus ad Arnobium pag.* 47. I. nunc & mirare, Lector, in templis non licuisse alvum exonerare, aut reddere urinam; quod nefas fuisse ostendit Cl. *Petitus Commentario ad Leges Atticas pag.* 7. Huc respicit Sacerdos Jovis apud *Aristoph. in Pluto*: *Act.* V. *Scen.* 2.

——— ——— ——— νῦν δ' οὐδὲ εἷς
Θύει τὸ παράπαν οὐδὲν, οὐδ' εἰσέρχεται,
Πλὴν ἀποπατησόμενοί γε πλεῖν ἢ μύριοι.

Nunc autem nemo est, qui vel tantillum sacrificet: nemo qui templum adeat Jovis, præter illam magnam turbam, qui eò veniunt, ut cacent. Hinc lucem fœneratur *Persius Saty.* I.

Heic,

—— —— *Heic, inquis, veto quisquam faxit oletum*
Pingue duos angues: pueri, sacer est locus; extra
Mejete. discedo.

Quod autem loco sacro angues jubeat adpingi inde est, quod in auguriis incantationibus, aliisque sacris magnus illorum apud gentiles fuerit usus, uti bene observat *Dionysius Vossius ad Majmonidem de Idol. cap.* VI. §. 2. Hinc apud Hebræos & Arabes idem vocabulum & serpentem, & divinationem sive augurium denotat. Vide *Dickinsoni Delph. Phœniciz. pag.* 10. Quin & serpentes divinos, imo & Deos esse multi sibi antiquitus persuaserunt, non solum Ægyptii, qui Aspidem colebant; sed Græci etiam & Latini. Unde Opinionis suæ originem traxerunt illi Ophitæ, qui inter veteres reconsentur hæreticos. Nec priscis tantum seculis; verùm & multo recentioribus à multis Gentibus divinus honos serpentibus tributus fuit, & etiamnum tribuitur, ut videre est apud *Jacobum Ouzelium Animadv. ad Minu. Feli. pag.* 169. Nullum autem olim inter Divos ferme numen fuisse, quod non anguis auspicio, necessitudine, consortio se consepserit, fulciverit, muniverit, sigillatim demonstravit, *M. Antonius Severinus Lib. de Vipera Pythia*, quem consule, ut & *Joannem Chifletium Comment. ad Gemmas Abraxeas cap.* 10.

CAP. VI.

De Berenicio quodam historiola, non illiterata. Latinum ac Belgicum in Hasium, virum fortissimum, epigramma.

PRæcedenti capite hoc certe mihi usu venit, quod figulis solet, quibus dum

—— —— Amphora cœpit
Institui, currente rota sæpe urceus exit.

Non ut initium, sic exitum scriptioni invenire potui. Paucas lineas cum destinarem, in aliquot paginas excrevit. Ita fit, dum aliud ex alio incidit, & ut cogitationes, sic & orationem arcano nodo connectit. Cum valde inter se principium & finis distent; imo aliquando sint contraria, ita tamen per ea, quæ intercedunt, conjunguntur, ut simile quid cum Iride habeant,

In qua diversi niteant cum mille colores
Transitus ipse tamen spectantia lumina fallit;
Usque adeo quod tangit idem est, tamen ultima distant.

Ne tamen in hoc capite idem nobis eveniat, carebimus sedulo. Ac quoniam tædium lectori forsitan movimus, historiolam promemus non injucundam nec illiteratam. Vacuas præbete aures, Amici; nam nulla usus circuitione rem ipsam ordior. Biennium fere est, quod in Zelandia fuit Antonides, juvenis ex Poësi Batava notissimus,

qui de gravitate cum Virgilio, de facilitate vero cum Ovidio contendere videri posset. Huic multa cum narrasset Viri istic auctoritate conspicui filius de præceptoris sui prompto ingenio & eximia memoria, incensus est desiderio istum hominem videndi. Hic itaque in ejus, & amicorum aliquot, qui aderant, gratiam continuo accersi. Venit homo, statura parvus, corpore obesulus, colore ater, pannis annisque obsitus, quem ex illuvie & sordido vestitu nullius esse prætii judicasses. Tamen si vultum attentius considerares, aliquid supra vulgus præ se ferrē videbatur. Erat enim torva in facie severitas, ardebant oculi, & pedes ac brachia miram corporis agilitatem continuo motu indicabant. Avidi omnes hominem circumstant, ac rogant num vera essent, quæ à discipulo acceperant. Vera? inquit: imo verissima sunt omnia. Quibus cum se fidem adhibere posse negarent, Berenicius (id homini nomen erat) ira accensus non dubitavit eos convitiis incessere, asinos bestiasque appellans. Ac quoniam erat tunc temporis ut sæpe alias, largius aspersus flore Liberi patris, Thrasonem agere non erubuit. Mira narrat de ingenii sui promptitudine, deque extemporalitate sua. Hæc omnia illi vino adscribere. Tum noster memorare incipit, ut Ambrosii Calepini Dictionarium octingentis vocabulis locupletaverit: ut possit semel audita ex tempore versibus comprehensa pure pariter ac eleganter efferre; ut denique sæpius novellas sive

chartas

chartas hebdomadales stans pede in uno ex Belgico transfuderit in Græcum aut Latinum sermonem, eumque non solutum; sed metro alligatum. Quæ omnia cum videret nulli fieri verisimilia, furenti similis foras erumpit, atque plenis buccis debacchatur. Postero die idem consortium convenerat Medioburgi in quodam celeberrimo diversorio, ut unà convivarentur. Illic, ut fieri solet inter patinas & pocula, variis de rebus verba fieri, ac tandem de negotiis publicis agi cœptum est; maxime quidem de pugna navali, quam nuperrime nostrates fortiter adversus Anglos pugnaverant. In qua cum præ cæteris egregio animi robore, & invictâ fortitudine Hasius eminuisse diceretur, Zelandicæ cujusdam navis præfectus, statim Antonides ille, ut non festivi tantum, sed & prompti admodum ingenii est, pectore sereno hos versiculos deducit.

De Haas, een fiere Leeuw in 't Britsche Zeegeweght,
Stont pal in 't midden der gepreste Water-honden,
Tot hem een Kogel heeft voor uyt na Godt gezonden,
Om wraak te vord'ren van 't geschonde Water-reght.
Sta Vreemdelingen, zeght tot glory van de Zeeuwen,
Dat hier de Hazen zelfs veranderen in Leeuwen.

Vix

Vix ac ne vix quidem hoc Epigramma, Musis bene faventibus prolatum, chartæque mandatum erat, cum in idem, quo nostri considebant, cubiculum sese infert Berenicius, eò adductus à suo discipulo. Quam poterat optime atque humanissime se excusat de præterito die, rogitans ut æqui bonique consulere velint, quæ tum fecisset ebrius. Atque hic iterum eadem repetit de promptitudine ac extemporalitate sua, & offert ipse periculum, si velint experiri. Quare cum eadem à sobrio audirent, quæ ebrius ante dixerat, hominem explorare constituunt. Ergo Antonides ei exhibet Epigramma modo à se factum, de eo judicium suum ut promeret. Legit, lectumque utroque pollice probat: et quid obstat, ait, quo minus id continuo civitate donem Latinâ? Illi mirabundi currenti calcaria addunt, ut constaret quid hominis esset. Interea, dum loquuntur, Viri mutari vultus, ac totus ipse tremere, ac si Apolline plenus esset. Sed tamen priusquam se operi accingeret, paucula rogavit, quæ sibi videbatur in Epigrammate non satis percipere. Quærebat quid sibi vellet vox Belgica *pal*. & quo Latino vocabulo exprimi posset. Dein petebat ut sibi liceret Præfecti nomen, in quo situm est totius Epigrammatis acumen aliqua periphrasi circumscribere, quandoquidem inauditum esset Latinis auribus. Omnibus in id consentientibus, quin habeo jam, inquit, vocem, quæ egregie hoc nomen ob oculos ponat, & nostro conveniat instituto.

tuto. Ea eſt *Daſypus*: ſic enim lepus, quod nomen cum Præfecti nomine coincidit, appellatur, quia eſt animal valde hirſutum, & villoſos habet pedes. Agite, ſingula mihi legite diſticha Belgice, & ea vobis reddam Latine. Infit ergo Dominus Buzerous, qui inter illos erat, & ipſe eximius Poëta, quem Berenicius ita κατὰ πόδας ſequitur:

Egregia D A S Y P U S referens virtute Leonem,
In bello adverſus Britonas ſuper æquora geſto,
Impavidus pelago ſtetit, aggrediente moloſſûm
Agmine, quem tandem glans ferrea miſit ad aſtra,
Vindictæ cupidum violato jure profundi.
Advena quiſquis ades, Zelandæ encomia gentis
Iſta refer, Lepores dempta quod pelle Leonem
Aſſumant, quotquot noſtro verſantur in orbe.

Quam primum abſolviſſet, quaſi re bene geſtâ, in cachinnos ſolvi, & exertis duobus mediis digitis frendens cum magno ululatu cvnctos ridere cœpit. Cum illi intereo hanc extemporalitatem laudibus ferrent, accenſus etiam eſt deſiderio idem & Græce tentandi. Scilicet gloriâ quiſque ad ſtudia incendimur, & laudes laudato vires addunt. ô Miram ingenii facilitatem! Bis terve ſcabit caput, oculos in terram flammeos defigens, & mox non interrupto tenore idem epigramma recitat Græce, addens, *daer is 't in 't Griekx*, hoc eſt, *en vobis Græcum.* Tunc Satyrum denuo agere,

agere, ut ante, nec ſe temperare à riſu intra horæ quadrantem. Quale autem Græcum fuerit Epigramma, certo non ſcio: iſtud certum eſt à Joanne Friderico Gymnicho, qui tunc temporis Teutoburgi ſumma cum laude Græcas literas profitebatur, (ipſe enim aderat) prælatum fuiſſe Latino. Quare autem hîc inſeri non poſſit, hæc cauſa eſt potiſſimum, quod pronuntiarit adeo rapide, ut nullus, quantumvis calamo celer, dictantem ſcribendo aſſequi potuerit. Poſt hominem varie explorarunt: ſed ea ſemper dedit ſpecimina ſuæ in re literaria eruditionis, quæ omnes obſtupeſcerent. Varias linguas ita loquebatur, ut ſingulæ ipſi viderentur vernaculæ, cum primis Gallica, Anglica & Italica. De Latinâ nihil aliud dicere attinet, quam literatiſſimum Virum Joan. Frid. Gronovium aliquando ſubveritum fuiſſe cum eo loqui Latine. Græcam uſurpabat tanquam maternam, eamque præ cæteris in deliciis habebat. Diu eâ diſſerebat cum clariſſimo Gymnicho, quem cum eo ſermonem habebat, finiens in hæc verba: Piget me diutius tecum Græce loqui; nam diſcipuli mehercule mei, modo annum ei diſcendæ linguæ impendiſſent, melius te loquerentur. Cum hoc & alia quædam liberius ab eo dicta nonnemo ægre ferret, proptereaque homini verbera minitaretur, ille, ut erat ad quævis paratiſſimus, ultro ſe pugnæ offerebat. Quin, inquit:

—— *Age, ſi quid habes, in me mora non erit ulla.*

De

De omnibus fere priscis in utraque lingua scriptoribus differebat pro re natâ solidissime, atque id absque ulla hæsitatione, nec præmeditatus. Spuria à legitimis discernebat, & quæ phrases ac voces bonæ quæ malæ essent accuratâ crisi distinguebat. Non immerito itaque huic applicaveris, quod de Marco Varrone in Plautinis fabulis dijudicandis, & apud Græcos de Aristarcho in Homericis discernendis, narrat *Agellius Lib.* III. *cap.* 3. Huc accedebat memoriæ prodigium, quâ comprehenderat totum Horatium, Virgilium, plurima Ciceronis, & utriusque Plinii, ac non ausim dicere, quorum præterea autorum, ex quibus, quæ velles loca, memoriter recitabat, addens & librum & caput: quin & versum in Poëtis, ubi extarent. Juvenalem ita in succum & sanguinem converterat, ut non versus tantum; sed & omnes propemodum literas in numerato habere dici posset. Ex Græcis Homerum cum quibusdam Aristophanis comœdiis edidicerat, atque ita edidicerat, ut statim proferret quoscunque versus desiderares. Cujas fuerit hic Berenicius nemini unquam dixit: nam quoties super patriâ rogaretur, sic fere respondebat, patriam cujusque esse ubi cuique bene est. Suspicantur nonnulli eum in Galliâ fuisse professorem, alii Jesuitam, vel alicujus generis monachum: sed incerta horum omnium sunt judicia. Istud multis est notissimum, plurimos annos oberrasse eum per Galliam, Angliam, & nostrum imprimis Belgium, dum ceu alter Bias,

omnia sua secum portat. Dicentibus quibusdam dignum eum esse professoris munere statim respondit, non placere sibi umbraticam istam vitam. Interim vitam tolerabat caminos verrendo; cultros acuendo & similibus artium mechanicarum vilissimis. Præ cæteris agyrtam agere ; ac populo fumos vendere erat huic homini familiare. De victu & amictu aiebat se nunquam fuisse sollicitum; susque enim deque se habere quemadmodum vestitus esset, & naturam parvo esse contentam. Nihilo minus gaudebat sæpe interesse largioribus compotationibus præsertim apud populi fæcem, in quibus interdum delitescebat totum octiduum, imo & diutius. Neque sobrium obiisse, acerbum fatum, quo functus est; satis ostendit: nam mortuus inventus est in palude; suffocatus aquâ ac limo. Id Dominus *Buzerous*, Poëta ingeniosissimus significat hoc, quod illi posuit, epitaphio:

Hier leit een wönderlijke geest,
Hy leefde en stierf gelijk een beest:
Het was een mißelijke Sater:
Hy leefde in wijn en stierf in water.

Quorum verborum hæc fere est sententia, eo loco situm esse hominem miri ingenii, qui bestiæ instar cum vixisset, bestiæ quoque instar obierat: Satyrum egisse dum omnes ridet: vino vitam oblectasse, jam eandem finiisse aquâ. Habes, Lector, historiolam, quam promisi. Tu Berenicii mirare promptitudinem atque extemporalitatem.

Quisquamne credat his ita quemquam posse esse præditum, ut stans pede in uno chartas hebdomadales versibus reddat sive Græcis, sive Latinis? Sæpius tamen hoc à Berenicio factum fuisse non modo Antonides, sed & Cel. Philosophiæ Professor Joannes de Raay, qui ante annos quasi viginti Berenicium novit, summa cum fide testantur. Quid autem sit de auctario Calepini, quem librum hodie, quam olim, habemus multo auctiorem, istud an Berenicio auctore effectum sit, asseverare nequaquam ausim. Istud constat facetissimum libellum, qui nuper hoc titulo prodiit, *Georgarchontomachia, sive Expugnata Meßopolis libri duo*, esse à Berenicio conscriptum. Verbum amplius non addam, Lector, nisi ut discusso tædio alacrius ad reliqua pergas.

CAP. VII.

Literæ prius extinctæ renascuntur. Magnus isto tempore eruditorum numerus. Jam denuo literæ ad interitum vergent. Libri in re literaria hoc tempore plurimi. De autoribus, qui cum notis Variorum prodierunt, judicium.

SI quis hanc nostram ætatem cum superioribus, quæ post renatas literas effluxerunt, comparat, istis majorem eruditionem fuisse comperiet, hîc vero majorem ad eruditionem comparandam

dam librorum copiam. Cum Gothi magnam orbis terrarum partem vaſtarent, ubicunque eſſent, ſecum barbariem intulerunt. Quod ſane minime mirum videri debet, cum tanto illa gens in literas odio flagaverit, ut Amaloſuntha, Theodorici Gothorum Regis filia, quia filium Athalaricum literas doceri voluerat, primores Gothorum offenderit, qui virum fortem & bello clarum inter literas verſari nefas eſſe putabant, narrante *Procopio Gothic. Lib.* I. Hoc ſequuti ſunt Longobardi, à quibus devaſtatâ Italiâ, ſimul cum Romano imperio Romanæ literæ intermortuæ fuere. Parum enim Muſis cum Marte convenit, nec injuria Homerus Palladem & Martem odiis inter ſe fingit confligantes. Hic illic inter monachos optimi autores deliteſcebant, vel cum aliis pleriſque rebus omnino perierant. Quos vero benignior dicam? an crudelior fortuna ab interitu vindicaverat, ii ab ineptis librariis qui plerumque monachi erant, miſerandum in modum truncabantur interpolabantur, commaculabantur. Omnes tunc ferme in ipſa barbarie laudem ponebant maximam. Quantum eo tempore eruditorum linguæ & artes liberales damnum fecerint, iſtud eſt non uno in loco oſtenſum à viris doctiſſimis. Legantur inter alios innumeros *Lomeierus egregio libello de Bibliothecis, & Hottingerus Hiſt. Eccleſ. N. T. Parte* V. Et ſane ſi quando in libros incidamus id temporis ſcriptos, vix apparent magis Latini, quam qui olim ævo Auguſtæo conſcribe-

bantur ultra Sauromatas & glacialem Oceanum. Græce autem ſcire hæreticum erat,& tantum non morte piandum. Certe riſum continere non poſſumus, quotieſcunque ad divinam artem poëſin oculos retorquemus, quam illi fœdiſſime conſpurcarunt. Atque adeo, quoniam eò devenimus, audi aliquid, mi Lector, aſininis horum auribus digniſſimum. *Thomas Morus*, vir probitate ac doctrinæ dotibus clariſſimus, cum aliquando non inelegans epigramma ſcripſiſſet, obtinere non potuit, ut id admitteretur. Igitur aliud componere juſſus eſt, quod maximis laudibus ad aſtra ferebant. Erat autem hujuſmodi:

Hic jacet Henricus, ſemper pietatis amicus:
Nomen Abyngdon erat, ſi quis ſua nomina quærat.
Wellis hic eccleſia fuerat ſuccentor in alma,
Regis & in bella cantor fuit ſæpe capella.
Millibus in mille cantor fuit optimus ille.
Præter & hæc iſta, fuit optimus orgaqueniſta.
Nunc igitur, Chriſte, quoniam tibi ſerviit iſte
Semper in orbe ſoli, da ſibi regna poli.

Ipſe Eraſmus, precibus magni cujuſdam viri impulſus, Sapphicum carmen fecerat de Michaële Archangelo, quod quoniam eſſet elegantiſſimum & vere Latinum, tam eſſe poëticum cenſebatur, ut Græce ſcriptum videri poſſet. Aliquando ex iſtis ineptulis quiſpiam cum valde in Eraſmi *Encomion Moriæ* debacchatus eſſet, rogabatur eum libellum an unquam legiſſet. Reſpondebat ille ſe ne-

nequaquam legisse, sibi tamen constare esse pessimum libellum, quod tam sublimi stilo conscriptus esset. Tamen aliquanto ante Erasmi tempora in Italia literæ renasci cæperant, maxime postquam Græci, inter quos & religionis puritas, & literarum studia magis hactenus viguerant, Turcarum armis superati, una cum Musis, in exilium abierunt. Hac clade bonarum artium studia in Græcia quidem extincta, in Italia vero ac reliquis deinceps Europæ partibus excitata sunt. Qui autem Bessarionem Patriarcham Constantinopolitanum & Cardinalem Nicænum sequuti in Italiam venerunt hi sunt potissimum: Emanuel Chrysoloras, Demetrius Chalcondyles, Constantinus Lascaris, Grammatici; Philosophi vero Gemistus Pletho, in Platonicis Bessarionis præceptor; Aristotelei vero Theodorus Gaza, Joannes Argyropulus; & Georgius Trapezuntius Rhetor. Brevi omnes Latine scribendo sic exercitati, ut & Gaza Romani sermonis pomeria in Animalium Aristotelis historia sic protulerit, ut quem illi conferam vix habeam, præferam vero neminem. Ita quidem hos recenset *Petrus Pantinus præf. præfixâ Apostolio Paræmiographo*, qui & ipse Byzantio in Italiam confugerat. Vide quoque *Henricum Stephanum dialogo de parum fidis Græcæ Linguæ Magistris circa initium*. Hos è Græcia Doctores multi discipuli continuo sectati sunt, inter quos maximi nominis Leonardus Aretinus, Franciscus Philelphus, Lauren-

tius Valla, Varinus Veronensis, Nicolaus Perottus. Quos exceperunt Joannes Picus Mirandulanus, Hermolaus Barbarus, Angelus Politianus, Jovianus Pontanus, Petrus Bembus & alii, quos hic enumerare nihil attinet. Tunc novus quasi literarum Sol oriri, & undique ad Musarum castra concurri. Mirabile dictu est, quam cito pulsâ barbarie literæ renituerint. Ex profunda nocte in merum meridiem te delatum diceres. Illud quod à Juliano desumptum Theodorus Canterus, Vir literatissimus & Consul Ultrajectinus Bibliothecæ suæ foribus inscripsit, tunc multi de se usurpare poterant.

Ἄλλοι μὲν ἵππων, ἄλλοι δὲ ὀρνέων,
Ἄλλοι θηρίων ἐρῶσι. ἐμοὶ δὲ βιβλίων
Κτήσεως ἐκ παιδαρίου δεινὸς ἐντέτηκε πόθος.

Alii quidem equos alunt, aut aves, aut canes ad venandum. Mihi vero à puero istud desiderium insedit, ut multos acquirerem ac possiderem libros. Valde hunc literarum cursum promoverunt Magnates, tum exemplis prælucendo, tum doctos opibus honoribusque mactando; maxime autem & princeps Nicolaus V. Papa Romanus, de quo vide *Casaubonum præf. Polybianâ.* Illorum aliquos recenset *Lomeierus Lib. de Biblioth: cap.* IX. *Sect.* I. Multum quoque juvit ars typographica, nobilissimum Bataviæ nostræ inventum, cujus ope facilius libri haberi poterant, qui antea non nisi gravissimo sumptu comparabantur. Non tanta tamen initio librorum copia erat, quanta desi-

de-

derari poterat. Autores non niſi ſenſim eruebantur ex tenebris pluſquam Cimmeriis, quibus obvoluti jacebant. Quo caſu multi inter priſcos ſcriptores è carceribus quaſi emiſſi, & in Mediis ruinis ſervati ſint, à multis eſt memoriæ proditum. Vide inter alios, cujus jam bis memini, *Lomeierum cap.* IX. *Sect.* 2. Ita cum mortalium rebus comparatum eſt, ut ſtatis quibuſdam modis & gradibus procedant, nec quæ conducunt, ſtatim omnia inveniantur. Sic homines magis induſtriam acuunt & vires ad quærendum intendunt. Aliàs obruerentur, ac ipsâ copiâ laborarent, ὡς ἐνδιοπλούσιος Τάνταλος, *ut Tantalus in mediis divitiis egens.* Quid jam Herodoto eſt vulgatius? Adeo parùm tamen Politiani ætate cognitus erat, ut ille cum Florentiæ interpretationem Homericæ Iliados in magna celebritate aggrederetur, non ſine ingenti oſtentatione, quæ de Homeri poemate perſcripta ſunt ab Herodoto, Auditoribus ſuis è ſuggeſtu, ut ſua, recitaret. Vide eruditiſſimum *Budæum Annot. in Pandect. pag.* 282. *Edit. Rob. Steph.* &, qui idem ex Duareno narrat, *Paulum Colomeſium* Κειμ. *Liter. C.* 31. Nemo jam eſt, vel inter eos, qui leviter literis tincti ſunt, qui Suidam non habeat. Ejus tamen copiam Eraſmus vel ad paucas horas ab amico impetrare non potuit, *ut ipſe teſtatur in Adagio* Feſtina Lente. Quid interim Eraſmo fuit doctius? quid iſto ſæculo in literis conſummatius? Omnes tunc quaſi dato ſigno, currebant ad (ut dicam cum *Lucretio*)

 Edita

Edita doctrina sapientum templa serena.
Atque is quidem in rem literariam ardor ad nostrum hoc sæculum duravit: dum interea temporis plures indies ex tenebris tum Græci tum Latini autores eruuntur, vel ornatius aut auctius prodierunt. Deinde satietas quædam, quæ bonis in rebus multo est perniciosissima, homines capere. Studia jacere. Autores priscos negligere, dum novis & inficetis libellis inhiant. Non quidem nostra aut parentum ætas viris Literatis omnino caruit: quis enim (ne quid de illis, qui alibi floruerunt, dicam) in patria nostra *Grotios*, *Salmasios*, *Heinsios*, *Vossios*, *Gronovios* non novit? Sed interim perpauci sunt, qui maximos hosce viros imitati literis gnaviter incumbunt. Quid causamur? Librorum certe penuriam non possumus. Quicquid veterum Autorum temporis vel barbarorum injuria reliquerit, id omne typis descriptum prostat. Magnam quoque industriam Viri doctissimi adhibuerunt, ut suâ operâ explanarent & illustrarent, quod esset obscurius in ritibus & historia priscorum. Varii sunt de his materiis libelli, quos gnavi typographi nuper adeo ad prælum revocarunt. Atque hic *Andreæ Frisii* non meminisse non possum, ex cujus officinâ multa accuratissime in re literaria jam prodierunt, & compluria exspectamus. Est ipse quippe in utraque lingua versatissimus, ac tum typorum nitori, tum mendarum emendationi imprimis studet. Ipsi autem antiqui autores multis commentariis & notis

tis à viris eruditis explicati sunt : ita ut nihil in studiis nostris nos morari posse videatur. Quid autem de iis autoribus sententiæ ferendum sit, qui cum *Variorum notis*, prodierunt, ut prisci fere omnes, qui tum soluta tum ligata oratione scripserunt, ego aliàs sæpe à Viris doctissimis quæsivi. Neque verebor in medium proferre, quid ab iis didicerim. Cum ante aliquot annos Aulus Gellius cum Variorum notis, Antonio Thysio & Jacobo Ouzelio curantibus, in lucem prodiisset, ille tum quidem ab eo, qui utili sane instituto rerum literariarum diaria conficit, laudem obtinuit. De cæteris vero hoc judicium fertur, quod ex *Ephemeridibus Eruditorum A*. 1667. *p*. 51. de Gallico in Latinum his verbis transfundo : *Aliquot anni jam sunt, quod Hollandi prælo subjicere cæperint optimos Antiquitatis autores additis notis, selectis ex illis, qui præ cæteris egregie in eos autores scripserant. Hi libri, quos vulgo VARIORUM vocamus, valde expetiti sunt, magis ob tituli speciem, quam quod quid egregium continerent. Sæpissime enim perperam satis excerpebant, & cum in integris commentariis multa bene essent ad autores notata, eorum loco nihil dabatur nobis, præter observationes literales, Varias Lectiones, & ejusmodi minutias, quæ etsi non sint omnino negligendæ, optimam tamen partem non faciunt eorum, unde hæc seligebantur.* Et paulo inferius : *Hujusmodi selecta rei literariæ plus obsunt, quam prosunt. Hinc enim verendum*

est, ne dum ipsa, quæ prius scripta sunt, integra commentaria de novo non imprimuntur, hæc tandem tota pereant, ac pro Lipsii, Casauboni & aliorum integris observationibus, nihil aliud habeamus, quam decurtatas epitomas: quod quidem in Servii ad Virgilium commentariis, aliisque antiquorum operibus, evenit. Certe, si recte calculum ponimus, huic sententiæ refragari non poterimus. Quid enim istæ Variorum notæ sunt aliud, quam, ut ait ille, burræ, quisquiliæ, ineptiæque? Non idem tamen de omnibus dico; nam quicquid Thysius, Gronovius Schildiusque vel ipsi fecerint, vel ex aliis elegerint, id recte atque optimo judicio ab iis factum est. Neque alios omnes uno ore condemno: sed pudet me pigetque illius, qui plurimos autores cum Variorum notis dedit: tantum abest enim à judicii laude, quâ optima quæque comprobasse censendus sit, ut contra non nisi de pessimis recipiendis autor esse videatur. Puerilia fere sunt, quæ profert, omnia. Nec est, quod ea pueris selecta esse dicat. Quid enim opus fuit in eam rem varios scriptores advocare, & ex optimis pessima excerpere? Melius fecisset, si ipse non interrupto tenore, quæ in antiquorum monumentis pueris obscura sunt, suis verbis explicasset. Quod præterito sæculo *Badius Ascensius*, & ante paucos annos *Minellius* fecere, qui pueris operam navarunt utilissimam. Itaque nemini mirum videri debet, parum viris doctis Autores sic editos placuisse.

cuisse. Hoc cum typographi animadverterent, fucum excogitarunt, quo multos decipiunt. Ajunt se integros commentarios excudere, observationes non mutilare, notas, ut scriptæ sunt, totas adferre. Sic tituli præ se ferunt. Verùm si rem ipsam excutias, egregie te falsum invenies. In nullis enim vel paucis saltem (excussi enim plerosque) ita rem se habere comperi. Utinam tandem exoriatur aliquis, qui absque fraude hic agat, & doctorum Virorum commentaria quæ jam rarissime prostant, integra in lucem proferat! Multum utilitatis præbet non solum explicationes nosse; sed etiam causas scire, cur eæ recipiendæ sint. Quod aliunde, quam ex observationibus non mutilatis haberi non potest. In quibus licet quædam nobis supervacanea videantur, tamen retinenda sunt, quia aliis forsitan videbuntur necessaria. Et si dicendum est, non minus furti tenetur, qui, inscio & invito autore aliquid ex literariis laboribus dempserit, quam qui ex auri vel frumenti acervo. Sed quoniam omnium commentaria vel notæ ad idem opus simul imprimi non possunt, ne in nimiam molem excrescat, id consilii typographis dederim, ut quem Doctorum judicio optime commentatum fuisse constat, eum integrum excudant; ex aliis vero id tantum seligi curent, quod illi deesse videbitur, atque hoc ipso titulo profiteantur. Non dubito bene meriturum de literis, quicumque sic egerit. Uti sane ille apud eruditos laudem consequetur maximam, qui *Ser-*

vium, *Donatum*, *Acronem*, *Porphyrionem*, & quotquot ex veteribus Latinis Scholiaſtis reſtant, ex ſervitute, quâ veluti conſtricti in bibliothecis jacent, liberali afferat manu, & cum antiquis grammaticis docili juventuti tradat.

CAP. VIII.

Canis nomen in convitiis uſurpatum. Cicero emendatus. Diaboli ſive mali dæmones pro perturbatoribus & hominibus nequam. Euangeliſta Joannes illuſtratus.

Nihil apud plebem noſtratem eſt vulgatius, quam ut inter convitia, quibus invicem ſe proſcindunt, *canis* quoque nomen uſurpent. Nec injuria *canis* nomen inter maledicta ponitur, nunc enim *immunditiæ*, nunc *ſevitiæ* notam & notionem in Sacris literis habet, ut multis allatis locis probat, Vir in criſi cum ſacrâ, tum prophanâ ſummus *Thomas Gatakerus Miſcel. Theol. cap.* 38. Quid cinædo eſt turpius, aut magis immundum? Is autem per *canem* proprie denotatur. Huc reſpicit *Chryſoſtomus Hom.* IV. *ad Rom.* his verbis, quibus hujuſmodi propudium alloquitur: εἴ τις ἐλθὼν ἐπηγγέλλετο ἐξ ἀνθρώπου κύνα ποιεῖν, ἆρ' οὐκ ὡς λυμεῶνα ἔφυγες; ἀλλ' ἰδοὺ, σὺ κύνα σεαυτὸν ἐποίησας. ἀλλὰ τὸ τούτου ζῶον ἀτιμότερον. ἐκεῖνο μὲν γὰρ χρῆσιν ἐπιτήδειον, ὁ δὲ ἑταιρικὸς οὐδεμιᾶς χρήσιμος. *Si quis ex homi-*

ne te vellet canem facere, hunc nonne tu ut pestem fugeres? Ecce autem, non canem temet ipse facis, sed quoddam etiam cane vilius animal. Canis enim alicujus usus est: cinædus vero nullum omnino usum habet. Apud Romanos quoque id obtinuisse, ut *canis* nomen in convitiis haberetur præter alios docuit *P. Faber Semest. lib.* I. *cap.* 9. De Vespasiano narrat *Suetonius Vita Vespas. cap.* 13. eum Demetrium Cynicum in itinere obviam sibi post damnationem, ac neque assurgere, neque salutare se dignantem, oblaterantem etiam nescio quid, satis habuisse *Canem* appellare. Facetum est quod in hanc rem apud *Plautum* legimus *Menæchmis Act.* V. *Sc.* 1. ubi Menæchmus Sosicles ita Mulierem alloquitur:

Non tu scis, Mulier, Hecubam quapropter CANEM
Graī esse prædicabant? MV. Non equidem scio.
Men. Quia idem faciebat Hecuba, quod tu nunc facis.
Omnia mala ingerebat, quemquem adspexerat:
Itaque adeo jure cœpta appellari est CANIS.

Hinc optime, si quid judicii mihi est, doctissimus Faber *Ciceronem* emendat Orat: *in Pisonem*, ubi in vulgatis libris sic legitur: *Ego istius pecudis, aut putidæ carnis consilio scilicet, aut præsidio niti volebam?* quis non videt pro *putidæ carnis* cum Fabro legendum esse *putidæ canis?* Insolens enim non est, ut *canis* nomen fœminino ge-

genere apud classicos autores usurpetur. Istud quoque apud nos obtinet, ut si quem atroci admodum ingenio & animo perturbatore novimus, hunc *Diabolum* vel *malum Dæmonem* esse dicamus. Hoc quidem ex antiqua consuetudine sumptum est. Nam (ut recte *Alemannus ad Procopium*) ex quodam usu & communi consuetudine, qui rempublicam atrocius vexarint Principes, id ipsum olim etiam audierunt. Clara sunt *Procopii* verba *Hist. Arc. pag.* 56. unde & ejus consuetudinis causam haurire licet. διὸ δὴ ἐμοί τε καὶ τοῖς πολλοῖς ἡμῶν οὐδὲ πώποτε ἔδοξαν ἄνθρωποι (de Justiniano & Theodora loquitur) ἄνθρωποι εἶναι. ἀλλὰ δαίμονες παλαμναῖοι τινὲς, καὶ ὥσπερ οἱ ποιηταὶ λέγουσι βροτολοιγοὶ ἤστην. οἳ δὴ ἐπὶ κοινῆς βουλευσάμενοι ὅπως ἅπαντα ἀνθρώπεια γένη τε καὶ ἔργα ὡς ῥᾷστα καὶ τάχιστα διαφθείρειν ἱκανοὶ εἶεν, ἀνθρώπειόν τι ἠμπίσχοντο σῶμα, καὶ ἀνθρωποδαίμονες γεγενημένοι τῷ τρόπῳ τούτῳ ξύμπασαν τὴν οἰκουμένην κατέσεισαν. *Quam ob rem & mihi & mei ordinis plerisque hi nunquam homines esse visi sunt. Sed dæmones perniciosi, & ut poëtæ loquuntur, hominum pernicies fuerunt. Qui quidem una consulentes, quo pacto humanum genus humanaque negotia, quam facillime & citissime perderent, humanas formas induerunt. & semihomines furiæ facti, sic universum urbem concusserunt.* Consule *Alemannum ad hunc Procopii locum*, ubi plura hujus loquutionis exempla recenset. Septuaginta quoque Bibliorum interpretes hoc modo loquuti fuerunt, idque nomen Hamani tribuerunt. Librum enim *Estheris* vertentes

tentes *cap.* VII. *verſ.* 4. *cap.* VII. *verſ.* 1. nomen צר vel צרר per διάβολον tranſtulerunt. Significat autem proprie eum, qui id operam dat ut alios perdat vel ad anguſtias redigat, à Rad. צור *Concludere, concludendo premere, angere.* Ipſi ſæpiſſime reddunt per ἐχθρὸν, ὑπεναντίον, ἀντικείμενον, στενὸν, nonnunquam per βίαιον; & σκληρόν. Ac hoc quidem Judæis Syriſque proprium videtur, ut notæ improbitatis homines Dæmoniis comparent, vel diaboli filios eſſe dicant. Vide 1 *Reg.* XXI. 13. *Matth.* XIII. 38. *Johan.* VIII. 44. *Act.* XIII. 10. 1 *Johan.* III. 8. Sunt autem Diaboli filii, non quia ab ipſo geniti, ſed quia eum, ut filii Patrem, moribus & pravitate referunt, & ejus mala opera imitantur ac faciunt. Hinc viderimus quo ſenſu impii Judæi Servatorem noſtrum *Dæmoniacum* vocitent, & quæ ſit mens ipſius Salvatoris, ubi Judam reſpiciens, *Johan.* VI. 7. hæc verba uſurpat: Οὐκ ἐγὼ ὑμᾶς τοὺς δώδεκα ἐξελεξάμην, καὶ ἐξ ὑμῶν εἷς διάβολός ἐστι; *Nonne ego vos duodecim elegi, & unus ex vobis diabolus eſt?*

CAP. IX.

Hyrcani mortuos canibus objicere solebant. Sepelire. Ritus sepeliendi mortuos in bello apud Athenienses usurpatus. Spartani mortuos in urbe sepeliebant, quod secus factum à plerisque gentibus. Horatius explicatus. Canis ad fores catenâ alligatus. Apostolus Paulus explicatus. Januæ quomodo à Romanis & Græcis apertæ. Terentius illustratus.

QUod modo ex Chrysostomo notavi cinædum esse nullius usus, canem verò esse alicujus, id mihi in memoriam revocat barbarum Hyrcanorum morem, qui mortuos solebant canibus objicere. Id *Cicero*, ut alios omittam, docet, *Lib.* I. *Tuscu:* his verbis: *In Hyrcania plebs publicos alit canes, optimates domesticos. Nobile autem genus canum illud scimus esse: sed pro sua quisque facultate parat, à quibus lanietur, eamque optimam esse illi censent sepulturam.* Hos autem canes Græci ἐνταφιαστὰς id est, *sepulcrales* vocant, ut ex Strabone rectè docet: Doct. *Cuperus Observ. Lib.* I. *C.* 7. Vide *Kirchmannum Append. ad Lib. de Funer. Roman. cap.* 11. ubi agit de variis ritibus à barbaris gentibus in sepultura usurpatis. In sepultura dico: vox enim *sepelire*,

lire;

lire; quam hodie omnes usurpant, & usurpatam veteribus solummodo credunt, quando terrâ cadavera obruuntur, etiam de combustione omnibusque sepulturæ generibus ponitur, puta, quando in mare projiciuntur mortui, quando suspenduntur ex arboribus &c, ut prolixe probat *Cuperus loco citato.* Est igitur *sepelire* inter ea vocabula, quæ hodie brevibus circumscripta finibus; olim latiorem usum obtinuerunt. Non nego quidem sepelire proprie humationem denotare; sed inde ad quemvis sepulturæ modum translatum est. Utrum vero crematio an humatio apud Romanos prius usurpata sit, certò non constat. Apud multas vero gentes consuetudinem humandi corpora vetustissimam fuisse præter alios *Ouzelius* docet *ad Arnobium pag.* 203. Ne quid autem de sepulturæ diversis ritibus conscribam, Kirchmannus, Gutherius, Meursius, & Quenstedius potissimum faciunt, quorum absolutissimi de hac materia libelli exstant, atque nuper adeo novâ editione prodierunt. Juvat tamen ex *Thucydide Lib.* II. locum adscribere, unde constet quo pacto ii, qui in bello occubuerant, sepeliri apud Athenienses consueverint. Neque enim omnes hunc locum sciunt, citatum licet à *Samuele Petito Comment. in Leges Atticas pag.* 501. & *Joanne Meursio Ceram: Gem. cap.* 23. Ἐν δὲ τῷ αὐτῷ χειμῶνι οἱ Ἀθηναῖοι τῷ πατρίῳ νόμῳ χρώμενοι δημοσίᾳ ταφὰς ἐποιήσαντο τῶν ἐν τῷδε τῷ πολέμῳ πρώτων ἀποθανόντων, τρόπῳ τοιῷδε. τὰ μὲν ὀστᾶ προτίθενται τῶν ἀπογενομένων,

πρότριτα σκηνὴν ποιήσαντες; καὶ ἐπιφέρει τῷ αὑτοῦ ἕκαστος ἤν τι βούληται. ἐπειδὰν δὲ ἡ ἐκφορὰ ᾖ, λάρνακας κυπαρισσίνας ἄγουσι ἅμαξαι, φυλῆς ἑκάστης μίαν. ἔνεστι δὲ καὶ τὰ ὀστᾶ ἧς ἕκαστος ἦν φυλῆς. μία δὲ κλίνη κενὴ φέρεται ἐστρωμένη τῶν ἀφανῶν. οἳ ἂν μὴ εὑρεθῶσιν ἐς ἀναίρεσιν. Ξυνεκφέρει δὲ ὁ βουλόμενος καὶ ἀστῶν καὶ ξένων. Καὶ γυναῖκες πάρεισι (παρῆσαν) αἱ προσήκουσαι ἐπὶ τὸν τάφον, ὀλοφυρόμεναι. τιθέασιν οὖν ἐς τὸ δημόσιον σῆμα, ὅ ἐστι ἐπὶ τοῦ καλλίστου προαστείου τῆς πόλεως. καὶ ἀεὶ ἐν αὐτῷ θάπτουσι τοὺς ἐκ τῶν πολέμων, πλήν γε τοὺς ἐν Μαραθῶνι. ἐκείνων δὲ διαπρεπῆ τὴν ἀρετὴν κρίναντες, αὐτοῦ καὶ τὸν τάφον ἐποίησαν. ἐπειδὰν δὲ κρύψωσι γῇ, ἀνὴρ ᾑρημένος ὃς ἂν γνώμῃ τε δοκῇ μὴ ἀξύνετος εἶναι, καὶ ἀξιώματι προήκῃ, λέγει ἐπ' αὐτοῖς ἔπαινον τὸν πρέποντα. Μετὰ δὲ τοῦτο ἀπέρχονται. ὧδε μὲν θάπτουσι. καὶ διὰ παντὸς τοῦ πολέμου, ὁπότε ξυμβαίνῃ αὐτοῖς, ἐχρῶντο τῷ νόμῳ.

Eadem hyeme *Athenienses patrio instituto condunt eos publice, qui hoc bello primi occubuerant. Institutum est hujusmodi. Triduo ante quam efferatur funus, tabernaculum faciunt, sub quo ossa defunctorum proponunt. Unusquisque interim suis inferias afferunt, si quas velint. Dies efferendi funeris cum venerit, currus advehuntur cum loculis ex cupresso factis, singulis ex singulis tribubus. His imposita sunt ossa earum tribuum, ex quibus quisque fuerit. Unus autem lectus vacuus fertur, stratus eorum causa, qui inventi non sunt, nec tolli potuerunt. Quilibet, sive civis Atheniensis* (Athenienses enim peculiariter ἀστοὶ vocantur) *sive peregrinus funus prosequitur. Mulieres genere propinqua flentes sepulcro adstant. Collocant autem in publico monumento, in pulcherrimo totius urbis suburbio. Atque hic semper sepeliunt eos, qui*

sunt

sunt in bello interfecti, iis exceptis, qui ad Marathonem cæsi fuerunt Horum enim cum insignem virtutem esse judicassent, in ipso pugnæ loco iis sepulcrum fecere. Postquam condiderunt, vir è tota civitate lectus, qui & sapientia & dignitate excellit, laudationem, quæ conveniat, recitat. Post hæc abeunt. Et hunc quidem sepeliendi ritum observant omnibus bellis, quæ gerunt. Ab Atheniensibus ad Lacedæmonios transeo. Fuit is quidem mos receptus à plerisque gentibus, ut mortuos suos extra urbem sepelirent, quod cum ab aliis, tum à Kirchmanno & Gutherio multis testimoniis ostensum est. Nec causam ullam video cur à Christianis, quos omni δεισιδαιμονίᾳ & superstitione vacuos esse oportet, contrarium usurpetur. Spartani tamen à reliquis gentibus plerumque moribus dissidentes suos in urbe sepeliebant. Testis est *Plutarchus Vitâ Lycurgi p. 56. Editionis Parisinæ.* Καὶ μὴν καὶ τὰ περὶ τὰς ταφὰς ἄριστα διεκόσμησεν αὐτός. (ὁ Λυκοῦργος) πρῶτον μὲν γὰρ ἀνελὼν δεισιδαιμονίαν ἅπασαν ἐν τῇ πόλει θάπτειν τοὺς νεκροὺς, καὶ πλησίον ἔχειν τὰ μνήματα τῶν ἱερῶν, οὐκ ἐκώλυσε, συντρόφους ποιῶν ταῖς τοιαύταις ὄψεσι καὶ συνήθεις τοὺς νέους, ὥστε μὴ ταράττεσθαι, μηδ' ὀρρωδεῖν τὸν θάνατον, ὡς μιαίνοντα τοὺς ἁψαμένους νεκροῦ σώματος, ἢ διὰ τάφων διελθόντας. *Quæ quoque ad sepulturam attinent, ista optime ordinavit. Primum enim omnem superstitionem tollens minime prohibuit mortuos in urbe sepelire, & ante oculos habere monumenta sacrorum, quod juventutem assuefacere vellet & quasi innutrire hujusmodi speculis, ne trepidarent vel*

mortem horrerent , tanquam quæ pollueret tangentem mortuum corpus , vel transeuntem per sepulcra. Vide etiam accuratissimum *Nicolai Cragii* tractatum *de Repub. Lacedam. lib.* III. *pag.* 186. ô Bone Deus! quantâ mutatio! Quod Lycurgus olim instituit ut vanam de pollutione opinionem evelleret, id Pseudo-Christiani per vanissimam superstitionem observant. Si quis in templis, quæ sunt fere in media urbe, non sepeliatur, hunc pollutum censent, & fere est, ut ejus animam ipso cœlo excludant. Sed de hac re non est hîc differendi locus. Pergamus ad reliqua, quibus hoc caput destinavi. Præter illum canis usum, quem initio indicabam, alii sunt quam plurimi, verum multo honestiores. Unum in præsentiarum notabimus. Apud Romanos non solum servi ad Januas catenis alligati erant, inde janitores dicti, qui & ostiarii vocantur, de quibus consule *Pignorium tractatu de Servis*, *Titum Popmam de Operis Servorum*, *Dousam præcidaneis in Catullum. c.* 1. *Gatakerum nostrum Miscell. Theolog. p.* 387. *aliosque.* Neque in privatis tantum ædibus; verum & in Deorum templis, qui prophanos aditu arcebant, unde *Horatius* explicandus *Lib.* III. *Od.* 1.

Odi prophanum vulgus, & arceo.

Adi *Petrum Gregorium Tholosanum Synt. juris Universi Lib.* XVI. *c.* 3. qui liber quam juris, tam bonarum literarum studiosis est utilissimus. Sed etiam prope januam canis unus pluresve accuba-

babant, qui januam custodiebant, ne quis invitis janitoribus intraret. De Vitellio narrat *Suetonius Vitâ Vitel. cap.* 16. confugisse eum in cellulam janitoris, religato pro foribus cane, ad quem locum videndus *Casaubonus in Commentario, & Gatakerus loco allegato.* Ne quis autem inscius in noxam incurreret, cane in cella latitante, canis figura in pariete depicta erat, hoc programmate prope posito: *Cave canem.* Audiamus *Petronium*, cujus verba sic habent: *A sinistra intrantibus non longe ab ostiarii cella, canis ingens catena vinctus in pariete erat pictus, superque quadrata litera scriptum: CAVE, CAVE CANEM.* Non dubito hinc ortum esse adagium, βλέπε κύνα, *Cave Canem*, quod Varro olim cuidam Satyræ titulum fecit, de quo vide *Ausonii Popmæ conjectanea in Varronis Satyras Menippeas.* Magnum tamen Galliæ suæ decus *Adrianus Turnebus Adversf. lib.* XV. *cap.* 4. hoc adagium respicere autumat furiosos canes, à quibus maximum vitæ periculum imminet. Hinc facile est explicare Apostolum *Paulum ad Philip.* III. 2. ubi sic legimus: Βλέπετε τοὺς κύνας, βλέπετε τοὺς κακοὺς ἐργάτας, βλέπετε τὴν κατατομήν. *Cavete canes, cavete malos operarios, cavete* (ita odioso vocabulo Judæos appellat) *concisionem.* De janitoribus aliquid diximus. Non nihil restat de ipsis januis observandum. Ipse tamen non primus observo: sed quicquid est, hoc totum elegantissimo Mureto debeo. Apud Romanos fores ædium intror-

fum trahendo aperiebantur. Secus fiebat apud Græcos, qui fores aperientes eas in viam publicam propellebant. Quoniam igitur periculum erat, ne quispiam, qui aut præteriret, aut pro foribus ſtaret, ab impulſa janua pelleretur; ideo qui exituri erant domo, ſolebant prius ipſimet intrinſecus fores ædium ſuarum percutere: ut illo ſtrepitu admonerentur, qui foris erant, cavere ſibi, atque eatenus abſiſtere, ut ne læderentur. Hinc patet cur in Plauti ac Terentii fabulis, quæ tum ſint pleræque ex Græco verſæ, non mirum eſt retinere conſuetudines Græcas, nunquam fere quiſquam egrediatur domo, ut non antea crepuiſſe fores dicatur. Hæc quidem *Muretus Var. Lat. lib.* I. *cap.* 17. Ac quoniam in Terentii mentionem incidimus, non poſſum præterire ejus locum, quem ſemper exiſtimavi eſſe oppido elegantem. Is exſtat *Eunu. Act.* III. *Sc.* V.

—— —— —— Dum apparatur, virgo in conclavi ſedet
Suſpectans tabellam quandam pictam: Ibi inerat pictura hæc, Jovem
Quo pacto Danaæ miſiſſe ajunt quondam in gremium imbrem aureum.
Egomet quoque id ſpectare cœpi: & quia conſimilem luſerat
Jam olim ille ludum, impendio magis animus gaudebat mihi.
Deum ſeſe in hominem convertiſſe, & per alienas tegulas

Ve-

Venisse clanculum, per impluvium fucum factum
mulieri.
At quem Deum? qui templa cœli summa sonitu
concutit:
Ego homuncio hoc non facerem? Ego illud vero ita
feci, ac lubens.

Multa ad hujus loci illustrationem adferri possent. Nihil enim verius est, quam picturas inhonestas juvenum animos ad nequitiam incitare. Quapropter Plato Ægyptios commendat, apud quos pictorum licentia legibus coercebatur. Non minus vere, quam scite *Propertius Lib.* II. *Eleg. 6.*

Quæ manus obscænas depinxit prima tabellas,
Et posuit casta turpia visa domo,
Ille puellarum ingenuos corrupit ocellos,
Nequitiaque suæ noluit esse rudes.
Ah gemat in terris, ista qui protulit arte
Jurgia sub tacita condita lætitia.
Non istis olim variabant tecta figuris,
Cum paries nullo crimine pictus erat.

Nihil autem magis animum incendit, qnam si Dei alicujus vel nobis præstantioris exemplo nos tutari possimus. Audi *Julium Firmicum Lib. de Erro. Proph. Relig. Adulterio delectatur aliquis? Jovem respicit, & inde cupiditatis suæ fomenta requirit. Probat, imitatur & laudat, quod Deus suus in Cygno fallit, in tauro rapit, ludit in Satyro.*

tyro. Multa in hanc rem collegit eruditiſſimus *Gruterus*, quem adi *Diſcurſ. in Tacitum Par.*I. *pag* 47. *& ſeqq.* Non pigebit pluſcula deſcribere ex *Achille Tatio*, non contemnendo ſcriptore, quia Terentium egregie illuſtrant. Ita quidem ille *pag.* 19. *Edit. Leidenſis Salmaſianæ*: Ὡς δὲ ἦμεν ἀπὸ τοῦ δείπνου, παῖς ἔρχεται κιθάραν ἁρμοσάμενος, τοῦ πατρὸς οἰκέτης, καὶ ψιλαῖς τὸ πρῶτον διατινάξας ταῖς χερσὶ τὰς χορδὰς ἔκρουε, καί τι κρουμάτιον ὑπολιγήνας ὑποψιθυρίζουσι τοῖς δακτύλοις. μετὰ τοῦτο ἤδη τῷ πλήκτρῳ τὰς χόρδας ἔκρουεν, καὶ ὀλίγον ὅσον κιθαρίσας συνῇδε τοῖς κρούμασι. τὸ δὲ ᾆσμα ἦν, Ἀπόλλων μεμφόμενος φεύγουσαν τὴν Δάφνην, καὶ διώκων ἅμα καὶ μέλλων καταλαμβάνειν. καὶ γινομένη φυτὸν ἡ κόρη, καὶ Ἀπόλλων τῷ φυτῷ στεφανούμενος. Τοῦτό μου μᾶλλον ἀσθενοῦσαν εἰς τέλος τὴν ψυχὴν ἐξέκαυσεν. ὑπέκκαυμα γὰρ ἐπιθυμίας λόγος ἐρωτικός. Κἂν εἰς σωφροσύνην τις ἑαυτὸν νουθετῇ, τῷ παραδείγματι πρὸς τὴν μίμησιν ἐρεθίζεται, καὶ μάλισθ' ὅταν ἐκ τοῦ κρείττονος ᾖ παράδειγμα. ἣ γὰρ ἂν ἁμαρτάνῃ τις αἰδὼς, τῷ τοῦ βελτίονος ἀξιώματι παρρησία γίνεται. Καὶ ταῦτα πρὸς ἐμαυτὸν ἔλεγον. Ἰδοὺ καὶ Ἀπόλλων κἀκεῖνος ἐρᾷ παρθένου καὶ ἐρῶν οὐκ αἰσχύνεται, ἀλλὰ διώκει τὴν παρθένον. σὺ δὲ ὀκνεῖς καὶ αἰδῇ καὶ ἀκαίρως σωφρονεῖς; Μὴ κρείττων εἶ τοῦ θεοῦ; Ὡς δὲ ἦν ἑσπέρα, πρότεροι μὲν πρὸς ὕπνον ἐτράπησαν αἱ γυναῖκες. *Poſteaquam finis edendi factus eſt, è pueris domeſticis unus cum cithara proceſſit: ac primum nudis manibus fides tentans, exilem quendam ſonum, digitis murmur adjuvantibus, edidit. Deinde ſumpto plectro, cum aliquantulum chordas percuſſiſſet, citharæ ſono vocem ipſe ſuam addidit: cecinitque, ut fugientem Daphnen Apollo incuſaret, ſimulque perſequeretur, ut jam*

jam

jam prehensurus esset, ut puella in arborem mutaretur, & ut ex arboris frondibus ille sibi coronam faceret. Hac profecto cantilena ardentiores amori meo faces subjecit. Amatorius enim sermo vehemens quadam cupiditatis incitatio est. Ac quamquam ad temperantiam aliquis comparatus est, exemplo tamen ad imitandum trahitur: eoque facilius, quo nobilius proponitur exemplum. Nam pudor, qui à peccando revocabat, præstantioris alicujus dignitate loco pulsus, in licentiam commutatur. Hisce itaque verbis memet alloquebar: Ecce ipse Apollo virginis amore captus est, & abjecto pudore, eam persequitur. Tune verò cunctaris, & pudore suffunderis, & alieno tempore temperanter te geris? Num illo Deo præstantior es? Cæterum cum advesperasset, primum mulieres cubitum iverunt.

CAP. X.

Pasiphae quare dicta concepisse ex tauro. Horatius illustratus. Meretrices quomodo à Romanis & Athenienfibus divino honore cultæ; quales. Laurentia & Leæna. Flora non fuit Meretrix. Rosinus notatus. Liberi cultus valde obscænus. Meretrices floridis vestibus indutæ. Artemidorus explicatus. Vestes meretricum pellucidæ. Ausonio lux. Martialis explicatus. Cestus. Ronsardus notatus. Plinius explicatus.

DE Pasiphaë nota historia est, eam monstrum peperisse, cui corpus virile, caput vero tauri esset, hinc Minotaurum dictum. Taurus quippe, quem deperibat, eam ligneæ inclusam vaccæ iniverat. Valde credulum esse oportet, qui hoc credat. Parum certe verisimile Palæphato visum fuit, qui putat Pasiphaen ex quodam juvene formoso, Tauro nomine, concepisse, & ex eo conceptu puerum enixam. Hoc fabulæ locum dedisse. Non quidem inepte sic dicitur: verum petitum videtur longiuscule. Mihi magis placet, ut cum Pasiphae ex tauro concepisse dicitur, per taurum intelligamus membrum virile. Et ea de causa hoc dictum fuit, quod dum Minos ab ea parte laboraret, alium ei suffecerat virilem magis ac ro-

bu-

bustum. Istud tauri nomen hoc significatu insolens non esse cum alii, tum *Muretus* docuit *Var. Lect. lib.* XII. *cap.* 9. nec non *Paulus Colomesius Notis ad Quintilianum pag.* 239. Neque dubito id spectare *Horatium lib.* II. *Od.* 5.

Nondum subacta ferre jugum valet
Cervice: nondum munia comparis
Æquare, nec tauri ruentis
In Venerem tolerare pondus.

Hoc cum turpe esse videretur, vel minus fortassis à quibusdam intelligeretur, occasioni præbuit fabulam effingendi. Simile fere est illud de educatione Romuli commentum. Laurentia Fausluli uxor ob vulgati corporis vilitatem lupa (quæ vox meretricem denotat) dicta Romulum educaverat. At quia turpe esse id fateri Romani existimarunt bestiæ hoc potius, quam scorto, maluerunt adscribere. Vide *J. Zevecotium ad Flor. lib.* I. *cap.* 1. Simile quid apud Athenienses evenit, *apud quos* (verba sunt. *Lact. Div. Inst. lib.* I. *cap.* 20.) *meretrix quadam nomine Leæna, cum tyrannum occidisset, quia nefas erat, simulacrum constitui meretricis in templo, animalis effigiem posuerunt, cujus nomen gerebat. Plinius lib.* XXXIV. *c.*8. ita hujus rei meminit: *Et Iphicratis Leæna laudatur. Scortum hæc Lyræ cantu familiare Harmodio & Aristogitoni, consilia eorum de tyrannicidio, usque ad mortem excruciata, ty-*

ran-

rannis non detexit. Quamobrem Athenienſes & honorem ei habere volentes, nec tamen ſcortum celebraſſe, animal nominis ejus fecere: atque ut intelligeretur cauſa honoris, in opere linguam addi ab artifice vetuerunt. Patet ergo meretrices à Romanis ac Athenienſibus cultas fuiſſe ſub imagine belluarum, neque inſolens eſſe id brutis adſcribi, quod factum eſt ab hominibus parum honeſtis. Audiamus *Arnobium Ad. Gent. lib.* I. *In civitatibus maximis, atque in potentioribus populis ſacra publice fiunt ſcortis meritoriis quondam, atque in vulgarem libidinem proſtitutis.* Quod vero quidam Floram, quam Romani colebant, meretricem eſſe exiſtimarunt, in eo valde falluntur, ut à ſummo Viro *Ger. Johan. Voſſio in inſigni opere de Idol. Gent. lib.* I. *cap.* 12. prolixe oſtenditur. Adeo ut, quæ de ea *Lactantius* narrat *loc. c.* parum vera eſſe videantur. Unde hic error ortus ſit, ſi quis me roget, affirmare non dubito, inde profluxiſſe, quod multi Larentiam, cujus feſtum decimo Calend. Decemb. celebrabatur, confuderint cum Acca Laurentia Romuli nutrice quæ Aprili menſe colitur, ut ait *Plutarchus*. Fuit autem Laurentia, quæ & Tarrutia dicitur, Anco Marcio regnante, nobiliſſimum ſcortum, quæ multorum bonorum compos facta, cum decederet, populum Romanum nuncupavit hæredem. *Et ideo ab Anco in Velabro loco celeberrimo urbis ſepulta eſt* (ita quidem *Macrobius Saturn. lib.* I. *cap.* 10.) *ac ſolenne ſacrificium, eidem conſtitu-*

tum,

tum; *quo Diis manibus ejus per flaminem sacrificaretur*. Adi porro *Plut. Vitâ Romuli p.* 19. *Edit. Parisf.* & *Quæst. Rom.* 10. *A. Gellium. lib.* VI. *cap.* 7. *August. De Civit. Dei lib.* VI. *cap.* 7. Quis non videt quam facile hæc Floræ tribui potuerint, ab iis, qui præter Accam Laurentiam Larentiam non noverant? Quod autem *Johannes Rosinus*, de quo hoc Casparis Barthii est judicium; neminem fere minore ambitione utilius & planius res priscas juventutem docuisse. *Antiq. Rom. lib.* II. *cap.* 20. in ea est sententia Floram cum Larentia eandem esse, id vereor ut cuiquam probet. Illius enim festum celebrabatur quarto Calend. Maji, hujus vero, ut diximus, decimo Calend. Decemb. Est quoque Flora inter Deos Deasque, quos Romani Romuli tempore à Sabinis acceperunt: cum Larentia demum vixerit sub Ancô Martio, qui tertius post Romulum regnum obtinuit. Hic mirari subit, quid Romanos sic verecundos fecerit, ut profiteri erubuerint meretrices à se coli: cum obscænissimo Priapo palam operarentur. Non dicam quæ de obscænis in hoc Deo colendo ritibus dici potuissent: satius enim est ea honeste ignorari, quam sciri cum pudoris damno. Istud tantùm, quia minus tritum est, quod ab Ægyptiis initium sumens inde in Italiam devenit, indicabo. *Inter cætera* (inquit *Augustinus de Civ. Dei lib.* VII. *cap.* 21.) *quæ prætermittere, quia multa sunt, cogor: In Italiæ compitis quædam dicit sacra Liberi* (quem quidam Priapi patrem,

trem, quidam ipsum Priapum, plurimi vero comitem Priapum sortitum, esse existimant) *consecrata, cum tanta licentia libidinis, ut in ejus honorem pudenda virila colerentur: non saltem aliquantum verecundiore secreto, sed in propatulo exultante nequitia. Nam hoc turpe membrum per Liberi dies festos cum honore magno plostellis impositum, prius per rura in compitis; & usque in urbem postea vectabatur. In oppido autem Lavinio unus Libero totus mensis tribuebatur, cujus diebus omnes verbis flagitiosissimis utebantur, donec illud membrum per forum transvectum esset, atque in loco suo quiesceret. Cui membro inhonesto matrem-familias honestissimam, palam coronam necesse erat imponere. Sed videlicet Liber Deus placandus fuerat pro eventibus seminum: sic ab agris fascinatio propellenda, ut matrona hoc facere cogeretur in publico, quod nec meretrix, si matronæ spectarent, permittere debuit in theatro.* Vide quoque *Cœlium Rhodiginum Ant. Lect. lib.* IV, *cap. 6.* Cur autem Libero Priapus in cultu adjungatur, *ad August. l. c.* docet *Ludovicus Vives.* Sed ut ad Meretrices, de quibus habeo quædam dicenda, revertar: illud apud Athenienses obtinuit, ut quæcunque artem profiterentur meretriciam, vestitu distinguerentur ab honestis matronis. Erant enim indutæ veste florida, sive varia, quod lenonum quoque & servorum proprium gestamen erat. Huic non absimiles sunt hodierni mulierçularum amictus, quibus in ipsa hyeme ver quasi nobis advehunt,

hunt, quo joco in *Nigrino Lucianus* utitur. Hinc facile est explicare *Artemidorum lib.* II. *cap.* 3. ubi hæc verba legimus : Γυναικὶ δὲ ποικίλη καὶ ἀνθηρὰ ἐσθὴς συμφέρει. μάλιστα δὲ ἑταίραις. αἱ μὲν γὰρ διὰ τὴν ἐργασίαν ἀνθηραῖς ἐσθῆσι χρῶνται. *Mulieribus bonum omen est somniare de veste varia & florida; maxime meretricibus: hæ enim in signum quæstus floridis vestibus utuntur.* Consule elegantissimum *Cuperum Observ. lib.* III. *cap.* 8. *nec non doctissimum Petitum Comment. in Leges Atticas pag.* 476. *ac clarissimum Casaubonum Animad. in Athenæum lib.* VII. *cap.* 6. Plura in hanc rem procul dubio suppeditat *Ferrarius Libris & Analectis de re vestiaria*, quem quidem autorem hactenus nancisci non potui. Hujusmodi versicolorem vestem eleganter describit, quisquis sit, autor apud *Athenæum lib.* XV. *cap.* 9.

Ἵματα μὲν χροΐας τότε αἱ χάριτές τε καὶ αὖραι
Ποίησαν καὶ ἔβαψαν ἐν ἄνθεσιν εἰαρινοῖσιν,
Οἷα φοροῦσ' ὧραι, ἔν τε κρόκῳ ἔνθ' ὑακίνθῳ,
Ἔντ' ἴῳ θαλέθοντι, ῥόδου τ' ἐνὶ ἄνθεϊ καλῷ
Ἡδεῖ, νεκταρέῳ, ἔν τ' ἀμβροσίαις καλύκεσσιν,
Ἄνθεσι ναρκίσσου καλλιῤῥόου. οἷ Ἀφροδίτη,
Ὥραις παντοίαις τεθυωμένα εἵματα ἕστο.

Vesti colores & Gratiæ & auræ
Illeverunt, vernisque floribus eam tinxerunt,
Qualibus exornant sese horæ, croco, hyacintho,
Florenti viola, rosæ pulcro flore,

In-

Iucundo, nectareo, ambrosiis calicibus
Floribus Narcissi eleganti colore formosi. Te, sancta Venus,
Id nunc precor; vestis hæc ut omni tempore sacra sit.

Erant quoque Meretricibus vestes suæ, sive sericæ, sive lineæ, pellucidæ & raræ: in quibus, quasi in nebula linea, prostabant. Sic nudæ simul erant, & tunica crocotula amictæ. Audiamus *Apuleium Metamorph. lib.* X. ubi hunc in modum loquitur: *Super has introcessit alia, visendo decore præpollens, gratiâ coloris ambrosei designans Venerem: qualis fuit Venus, cum virgo fuit, nudo & intecto corpore refectam formositatem professa; nisi quod tenui pallio bombycino inumbrabat spectabilem pubem. Quam quidem laciniam curiosulus ventus satis amanter nunc lasciviens reflabat: ut dimota, pateret flos ætatulæ: nunc luxurians adspirabat, ut adhærens pressule membrorum voluptatem graphice laciniaret.* Ad hunc locum videndus *Pricæus in notis. Martialis* quoque *lib.* VIII. *Epig.* 68. sic loquitur.

Invida purpureos urat ne bruma racemos,
Et gelidum Bacchi munera frigus edat:
Condita perspicua vivit vindemia gemma,
Et tegitur felix, nec tamen uva latet.
Fœmineum lucet sic per bombycina corpus.

Hinc

Hinc lucem fæneratur *Ausonius*, *Epig*. 38. Describturus enim qualem velit amicam, inter cætera sic loquitur:

Nec bis cincta Diana placet, nec nuda Cythere:
Illa voluptatis nil habet, hæc nimium:
Callida sed media Veneris mihi venditet artem
Fæmina: quæ jungat, quod volo, nolo voces.

Accidit aliquando unà ut essem cum juvenibus aliquot non indoctis, inter quos agebatur de rebus literariis. De variis scriptoribus loquuti tandem ad *Martialem* devenimus, cujus septimum & quadragesimum *lib*. X. Epigramma omnes uno ore ad cœlum tulimus. Ibi illa enumerat, vitam quæ faciunt beatiorem, his inter alia verbis:

Res non parta labore, sed relicta:
Non ingratus ager, focus perennis,
Lis nunquam, toga rara, mens quieta.

Quærebat tunc unus ex nobis, per *togam raram*, quid putaremus intelligi? Quid aliud, inquam, quam modicum honorem, qui à vulgi contemptu nos vindicet, nec altius tamen evehat, ubi invidiæ & turbidis fortunæ procellis exponimur. Certe cum *Martiale* bene convenit noster *Horatius* *lib*. II. *Od*. 10.

Rectius vives, Lucini, neque altum
Semper urgendo, neque dum procellas
Cautus horrescis, nimium premendo
Littus iniquum.
Auream quisquis mediocritatem
Diligit, tutus caret obsolet;
Sordibus tecti, caret invidenda
Sobrius aula.

Ita quidem exponi solet, ait ille: sed videor mihi videre alium sensum genio Martialis magis proprium. Quid si *raram togam* καταχρηστικῶς dixerit pro tunica rara & pellucida, qua uti consueverant meretriculæ. Nec plane insolens est apud classicos autores vestes viriles cum muliebribus commisceri. De toga constat, *Nonco Marcello* teste æque fuisse à fæminis, quam viris usurpatam. *Toga enim*, sunt verba *Varronis*, *olim fuit commune vestimentum, & diurnum & nocturnum & muliebre & virile.* Videri de hac re potest *Petrus Faber Semest. lib.* I. *cap.* 15. & de pellucidis vestibus *cap.* 16. Cum autem Martialis nimis quam amoribus scortisque deditus fuerit parum mihi fit verisimile eum vitam dulcem putasse, quæ non aliquando in Veneris castris militaret. Ita quidem ille, non quod ita sentiret; sed ut à sententia recepta recederet, quod ingenii acuendi causa ut sæpe, ita libenter faciebat. Hujusmodi quoque tunica fuit cestus, qui cum Veneri potissimum, tum Venereis puellis tribuitur. Lorum per-

pertenue collo mammisque curiose ac delicate implicatum sustinebat velum levidense, velum bombycinum ante voluptarias ædes dependulum : idque Veneris erat cestus & tunica. Adi eruditissimum *Rigaltium Notis ad Onosandri Strategicum pag.* 25. Parum se hîc mihi, ut & *Rigaltio*, probat *Petrus Ronsardus* maximi vir ingenii, & ævo suo in Gallica Poësi princeps, ad cujus *Lib.* II. *Amorum Car.* 22. postquam hæc verba ex *Homero lib.* XIV. *Iliad. vers.* 214. &c. recitasset:

Ἦ, ϗ ἀπὸ στήθεσφιν ἐλύσατο κεστὸν. ἱμάντα
Ποικίλον. ἔνθα δέ οἱ θελκτήρια πάντα τέτυκτο.
Ἔνθ' ἔνι μὲν φιλότης, ἐν δ' ἵμερος, ἐν δ' ὀαριστὺς
Πάρφασις, ἥτε ἔκλεψε νόον πύκα περ φρονεόντων.
Τόν ῥά οἱ ἔμβαλε χερσίν.

Hæc pectoribus solvit cestum, cingulum versicolor : (sic enim vertendum est ; ita ut cestus dicatur cingulum versicolor per appositionem, cujus ea vis est ut posterius explicet prius) *in eo autem illi illecebræ omnes inerant. Ibi inest amor, desiderium, inest confabulatio, & blandiloquentia, quæ decipit mentem valde quoque sapientium. Hoc ejus manibus imposuit.* Postquam inquam hæc verba recitasset, ita pergit *R. Bellaqua*, (sive Bellaqueum cum Aurato malis) qui Anacreontem versibus Gallicis ex Græco transtulit : Icy faut noter, que les Poëtes modernes, voire les Latins, se sont fort abusez, comme m'a conté nostre Autheur, d'avoir appellé la ceinture, ou tissu, ou

demy-cinct de Venus, Ceston : car ceston n'est que l'Epithete de ἱμάντα. Ἱμὰς est donc la ceinture ou demy-ceinct de Venus, & cestos l'Epithete au adjectif, qui signifie brodée, ouvrée a l'aiguille, peinte & bien facconée. *Notandum hic est Poetas, maxime Latinos, valde falsos esse, ut noster quidem autor sentiebat, quod cingulum, sive textum, sive semicinctium Veneris* CESTUM *vocaverint: CESTUM enim in illo Homeri versu non est nisi epitheton* τῦ ἱμάντα. Ἱμὰς *autem est cingulum sive semicinctium Veneris, & cestus ejus epitheton aut adjectivum, quod significat prætextum, acu factum, pictum & bene formatum.* Non dubito fore plerosque, qui mirantur sint eò impudentiæ meretrices fuisse prolapsas, ut prostare non erubuerint in tunicis hisce, seu cestibus pellucidis. Sed quo non perrumpit istud vitium, ubi semel ei vincula laxaveris? Priusquam hinc abeamus explicandus venit optimæ frugis scriptor *C. Plinius*, apud quem *lib.* VII. *cap.* 48. sic legimus: *Galeria Copiola Embolaria* (vulgo perperam *emboliaria*) *reducta est in scenam, Cn. Pompeio, Q. Sulpitio Coss. ludis pro salute Divi Augusti votivis, annum centesimum quartum agens.* Ibi vox *embolaria* multum interpretibus negotii facessit. In eo plerique conveniunt, quod per *embolariam* scenicam intelligant mulierem. Mihi magis placet, ut meretrix intelligatur. Ἔμϐολοι sunt porticus, in quibus meretrices plerumque prostabant. Ibi sua cuique cella erat, sive fornix,

nix, unde meretrices quoque *fornicariæ* dictæ sunt. Atque hanc explicationem (ne quid dissimulem) acceptam fero doct: *Alemanno Notis ad Hist. Arca. Procopii p. 33.*

CAP. XI.

Arabica Lingua omnium locupletissima. Hebraica olim, quam hodie, multo copiosior. Chinensium lingua pauperrima. Vocis Interpretis tres significationes maxime vulgares. Galli omnes antiquos scriptores suâ lingua conversos legunt: nos Belgæ non item. De Belgicâ Taciti versione ab Hoofdio factâ. Triplex interpretandi, id est, autores convertendi genus. Interpretatio, qua verbum verbo redditur. Interpretatio, quæ sensum potius appendit, quam verba adnumerat. Gronovius notatus. A verbis non temere recedendum. Horatius explicatus. Duo in Interpretatione præcipue tenenda. De Herodiani versione à Politiano factâ, deque ipso Politiano. Ruffinus qualis Interpres. In sacris libris vertendis maxima etiam circa verba cautio adhi-

benda. Illi sua eloquentiâ non carent. Impium Petri Bembi dictum. In Versione Græca Veteris Testamenti τῶν Septuaginta, & ipso Novo Testamento plurimi Hebraismi. Multi ex Philosophis Ethnicis à Judæis & Sacris Bibliis plurima edocti, & Plato ante omnes: Virgilius Horatiusque explicati. Anglorum de versione Tremellii ac Junii judicium. In sacris vertendis non nimis elegantiis Linguæ Latinæ studendum. Castellio notatus. De tertio genere Interpretationis, quæ paraphrasis dicitur. Interpretatio, quæ Poëtarum Oratorumque propria. Theocritus ac Virgilius illustrati. Terentius explicatus.

LInguæ aliæ aliis sunt multo copiosiores, & quanto quà vocabulis ditior, tanto & facilior esse solet. Si singulis rebus distincta dentur vocabula, istud ut ambiguitatis minimum, ita facilitatis plurimum parit. Nam fieri non potest, quin, ubi multa sunt πολύωνυμα, dubius aliquando hæreas quo significatu sumenda sint. Quamquam & hoc evenire posse non negem, ut ipsâ copiâ laboremus. Ut in rebus, ita & in verbis modus est, sunt certi fines, quos ultra citraque nequit consi-

ſtere rectum. Si multa vocabula uni rei exprimendæ inſerviunt magnum profecto laborem iis ediſcendis impendere neceſſe eſt. De Arabica lingua conſtat, eam antehac copioſiſſimam fuiſſe totius Orientis, imo totius orbis: quod vel hinc conjicere licet, quod aliquando vel ſola diverſarum ejuſdem rei appellationum enumeratio & explicatio juſtam voluminis integri materiam præbuerit. *Sic*, referente *Pokokio Notis ad Abulf. p.*153. *doctiſſimo Grammatico Ebni Chalanaib libri unius ſubjectum Leonis nomina, quæ quingenta, alterius ſerpentis, quæ ducenta. Autor. Kamuſi, Muhamed Alſirauzabadius librum integrum de mellis appellationibus & utilitate ſe conſcripſiſſe ait, in quo cum octoginta ejus nomina recenſuerit, totam tamen ejus nomenclaturam non abſolviſſe notatur. Teſtatur idem enſis appellationes ultra mille ſe in libro à ſe compoſito enumeraſſe.* Fruſtra itaque ſunt, qui Græcam Arabicâ uberiorem eſſe contendunt. Nam licet Græca vocum compoſitione maxime gaudeat, non tamen inde ejus copia evincitur. Hæc non è luxuria compoſitorum; ſed ex quantitate vocum ſimplicium æſtimanda eſt. Ac ut ut jam tanta in Arabica lingua copia, ac olim, non inveniatur, valde tamen locupletem eſſe aſſerunt, quibus in hac re verſatiſſimis, fidem negare non potes. Vide ſis *Auguſtum Pfeifferum Synopſ. Nobil. Quæſt. Diſput.* I. *Quæſt.*8. Habent quæque linguæ fata ſua; ſic ut ex hodierna inopia de priori copia judicare non liceat. Hoc

 patet

patet in Hebræa linguâ, quæ cum Iſraëlitis vernacula & in vulgi uſu eſſet, locupletiſſimam fuiſſe credibile eſt, & ſi jam ſit paupercula. Et id quidem ea de cauſa, quod nullum ſcriptum ſuperſit pure Hebræum præter ſacra Biblia, in quibus non omnibus de rebus, ſed de hiſtoriis tantum, & divinis præceptis agitur. Egregia eſt *Cl. Gatakeri* obſervatio *de Stylo N. Teſt. cap.* 3. quam transſcribere non gravabor. *Radicum*, inquit, *numerum quod attinet; dato linguæ cujuſdam, Græcæ puta vel Latinæ, tantundem duntaxat, exſtare, partim hiſtorice, partim didactice ſcriptum, quantum è lingua Hebraica pura jam ſupereſt: ſatis probabile eſt, thematum, ſive radicum, cenſum haud valde diſparem utrobique iri deprehenſum. Imo, ne longius abeamus, inſtituatur collatio inter veteris inſtrumenti verſionem Græcam, aut Latinam certam aliquam, ejuſdemque contextum Hebraicum, thematumque primitivorum utrobique numerus ineatur: haud multo radicum Hebraicarum, ſi hanc ſuperet ſaltem, ſuperaturam vel Græcorum vel Latinorum ſummam exiſtimem. Certe haud multum intra numerum bis millenarium ſubſiſtunt Themata Hebraica, vel prima, vel quorum natales primi in occulto prorſus deliteſcunt, ut pro primis haberi debeant.* De Arabica locupletiſſima lingua loquuti, non nihil addemus de lingua Chinaica, quæ quod ad vocabula omnium merito eſſe cenſetur pauperrima. Ponam verba *Waltoni ad Bibl. Polygl. Proleg.*

leg. II. *Num.* 21. quæ debeo *Pfeiffero*, qui ea citat *Dissert. Philolog. pag.* 136. *quem ibi vide, ut & Synops. Nobil. Quæst. Disput.* II. *Quæst.* 20. Sic igitur *Waltonus*: *Vocabula habent*, Chinenses scilicet, *paucissima, omniaque monosyllaba: Nomina enim non agnoscunt ultra* CCCXXVI. *nec in universum ultra* CIↃ CCXXVIII. *vocabula. Characteres tamen habent fere infinitos. Alii sexaginta millia, alii octoginta, alii usque ad centum & viginti millia numerant: omnesque in vocabulo suo magno, quod* HALPIEM, *i. e.* OCEANUM *nominant, descripti sunt. Et qui ad eruditionis fastigium apud ipsos pervenire velit, necesse est ut omnes vel plerosque memoriter teneat. Ad communem tamen usum inter artifices, mercatores aliosque de plebe, octo vel decem millia satis erunt. Hinc apud ipsos doctissimus habetur, qui plures illorum characterum memoria tenuerit.* Maxima itaque Chinenses in loquendo homonymia laborant, cum una vox quandoque viginti vel triginta diversissimas sustineat significationes, quæ sola pronuntiatione distinguuntur. In scribendo tamen per illos characteres omnem homonymiam effugiunt, qui, etsi in amplissimo Chinarum regno viginti circiter sint linguæ, tamen ab omnibus pariter legi & intelligi queunt. Unde quidam concludunt posse dari certas figuras, quarum beneficio ἀμέσως res ipsæ, earumque conceptus nobis sistantur, per quas se mutuo intelligere possint omnes hujus universi incolæ, ut ut

 di-

diversissimis linguis utantur. Vide *Vossium de Arte Grammaticâ lib.* I. *cap.* 4. & *Historiam Geographicam & Civilem nuper editam pag.* 225. Sed ut tandem eò, quò tendimus, perveniamus; de lingua Latina varia sunt doctorum Virorum judicia quorum alii eam Græca locupletiorem esse asserunt, alii vero negant. Utri autem rectius sentiant definire, neque partium nostrarum neque virium est. Dignissimus lectu est liber *Marii Corradi*, quem inscripsit *de copia Latini Sermonis*, quem tamen in omnibus probare non possumus. Istud saltem in dubium mihi nemo vocare poterit, Latinis multa esse vocabula πολύσημα. Sumamus vocem *Interpretis*, quæ cum alias quasdam, tum has maxime vulgatas significationes habet. Interpres eum denotat qui partes dissidentes componit atque conciliat. Sic ab *Asconio Pædiano Comment. in* II. *Orat. Cicer. contra Verrem* interpretes dicuntur, per quos inducitur pactio. Hoc sensu dixit *Virgilius lib.* IV. *Æneid. v.* 608.

Tuque harum interpres curarum & conscia Juno.

Ubi *Servius*, *Interpres*, *hoc est Mediatrix & conciliatrix*. Ac quoniam hujusmodi mediatores animos eorum, quibus dati sunt interpretes, scrutantur, & postmodum illis aperiunt, factum est ut interpres pro eo accipiatur, qui obscura exponit.

nit. *Sic Virgilius Lib.* X. *Æneid. verſ.* 175

> —— *Ille Hominum Divumque interpres A-ſylas.*

Ubi iterum *Servius*, *Deorum quos interpretatur, hominum, quibus interpretatur, & divinas indicat mentes, interpres vocatur.* Cumque etiam, qui ex incognita lingua in cognitam aliquid transfert, obſcuram quodammodo orationem claram reddit ac perſpicuam, hinc quoque Interpres is dicitur, qui quid in aliam ſeu ſcripto, ſeu vivâ voce, linguam vertit. Hoc ſenſu ait *Horatius in Arte Poëtica v.* 133.

> *Nec verbum verbo curabis reddere fidus*
> *Interpres.*

Nos de interprete aliquid dicturi, deque interpretandi modis, eam vocem poſtremo ſignificatu ſumimus. Iſtud autem imprimis certum eſt, eum qui ſit interpretaturus, utriuſque linguæ, ex qua & in quam convertit, gnarum peritumque eſſe oportere. Sunt autem ejuſmodi interpretationes per quam neceſſariæ: multa enim ſingulæ gentes vernaculâ quæque linguâ conſcripſerunt quæ ſcire omnium intereſt. Atque utinam nobis Belgis tam felicibus eſſe liceret, quam ſe eſſe jactitant Galli! Sic enim dicunt, nihil eſſe quod ad ſcientiarum orbem (Græci ἐγκυκλοπαιδείαν vocant) pertinet, quod Gallicâ linguâ non ſit ſcriptum, vel aliun-

aliunde in eam conversum. Exstat *Cl. Sorelli*, qui inter Historiographos Regis Galliæ principem locum occupat, egregius liber, qui inscribitur *Bibliotheque Françoise. i. e. Bibliotheca Gallica* quo conatur ostendere solâ contentos esse posse Gallicâ Linguâ, qui ad eruditionem tendunt, ac Gallicos quidem libros, qui ad eam assequendam faciunt, magno numero recenset. Et si verum fateri volumus, nullus ex antiquis, sive Græci sint, sive Latini, autoribus invenitur, quem conversum suâ linguâ Galli non legant. Historici, Oratores, Philosophi, Poëtæ, qui olim Athenis vel Romæ vixerunt, jam in Gallia Gallis loquuntur. Merito profecto stupemus assiduam *Marolli* diligentiam, qui præter alia multa quæ cum vertit, tum ipse composuit, hos Poëtas Latinos in vernaculam linguam transtulit: *Lucretium*, *Virgilium*, *Horatium*, *Ovidium*, *Lucanum*, *Catullum*, *Tibullum*, *Propertium*, *Juvenalem*, *Persium*, *Martialem*, *Plautum*, *Terentium*, *Senecam Tragicum*, & *Papinium Statium*. Non ignarus sum omnes non æque bene de his versionibus sentire, cum quæ illi ligatâ oratione scripserant, hic solutâ reddiderit: multa enim esse, quæ plane sordeant, nisi ligatis verbis & Poëtico spiritu efferantur. Ego, cum nihil difficilius esse sciam quam quid ligatis verbis ita vertere, ut nativus simul decor retineatur, nihil autem sensui detrahatur, aut addatur, minime vituperandos censeo, qui integram fidem ser-

ſervant, & verum Poëtarum ſenſum verbis licet ſolutis efferunt. Quid vero *Ablancurtius* in hiſtoricis transferendis præſtiterit, ex Græcis *Xenophon*, ex Latinis *Tacitus* potiſſimum teſtantur. De *Claudio Fabro*, *Vogelaſi* Domino, qui patre natus erat Antonio Fabro, cui tum alia multa tum *Codicem* debemus *Fabrianum*, de eo Claudio conſtat, triginta annos inſudaſſe eum verſioni *Quinti Curtii*, quam ut ut elegantiſſimam eſſe omnes concedant, tamen haud tanto temporis diſpendio digna videri poteſt. Velim his Gallorum exemplis noſtri ut incitentur Belgæ, ne minus hanc Spartam exornent. Quiſquis noſtram, ſimul cum Græca & Latina, linguam excoluit, hoc ſibi negotii datum putet. Sane pudet me pigetque, quoties cogito nihil fere priſcorum Autorum in noſtram converſum eſſe linguam, quæ ut elegantiâ Gallicæ non nihil cedat, ita copiâ & compoſitionis facilitate multo eſt ſuperior. Saltem ad hiſtoricos transferendos gravitatis habet plurimum. Hic deflere ſubit veſtram, ô Belgæ, ſortem, quod vobis carendum ſit integro Tacito, quem Nobiliſſimus *Hoofdius*, ex Latino Belgicum fecit. Quanti iſte theſaurus faciendus ſit, ex edito ſpecimine patet. Quid autem obſtat cur non toto fruamur? Ipſe teſtamento cavit, quia nondum omnia ſatis elaboraverat. Sic *Virgilius* teſtamento comburi juſſit *Æneida*, ut rem inemendatam imperfectamque, ut *Donatus* ſcribit in *ejus Vita*. Sed cur *Hoofdii* hæredes *Auguſtum*

non imitantur qui ex quarta parte *Virgilii* hæres factus tam dirum nefas prohibuit. Notum est Imperatoris carmen, quo inter alia sic loquitur:

Sed legum servanda fides; suprema voluntas
Quod mandat, fierique jubet, parere necesse
est:
Frangatur potius legum veneranda potestas,
Quam tot congestos noctesque diesque labores
Hauserit una dies.

Atque istam jacturam, si hæredes minus assentiantur, feremus iniquius, quod neminem inventum iri existimen, qui Tacitum melius, quam Hoofdius, converterit: ita gravis est utriusque stilus ac pondere plenus. Est quidem ille autor in Belgicum bis conversus; sed ita ut intelligi à nemine possit; adeò parum, prior præsertim interpres, & Latinæ & nostræ linguæ videtur fuisse gnarus. Neque minus in cæteris, quotquot ex antiquis translati sunt, peccatum fuit. Aut si cui fidelior contigerit interpres, is tamen tam obsoletis & uti desitis verbis usus est, ut absque tædio legi non queat. Verum enim verò (ut ex hoc diverticulo redeamus in viam) cum de tribus interpretandi modis non nihil me dicturum promiserim, hoc jam agamus, benevole Lector. Primus interpretandi modus is est, cum nulla elegantiæ habita ratione, eodem ordine, eodemque numero verba redduntur. Hoc si quis, verbum verbo

bo reddere, appellare velit, haud equidem valde repugnaverim: quamquam aliud iſtis verbis *Horatium* intendiſſe mox oſtendam. Hoc modo Poëtas Græcos multi verterunt in Latinum, utili omnino inſtituto. Fit autem hujuſmodi interpretatio magis ut intelligamus illam ex qua, quam in quam linguam conſcribitur. Sic pueri dum Latine quodammodo ſciunt, per hanc verſionem ad Græca penetrant. Si quis verò ſolas ejuſmodi tranſlationes ſine collatione τῶ ἰδιώτης (quo vocabulo in re ſimili olim uſus eſt Origines, ut videre eſt apud *Morum Exercit. Genev. pag.* 121.) legere aggreditur, vix percipiet, quid ſibi autor velit. Magis enim in hac verſione ad verba, quam ad ſenſum attenditur. Sic nempe comparatum eſt, ut quæ in una lingua intellectu facilia ſint, eadem eiſdem verbis in alteram tranſlata intelligi à nullo poſſint. Secundus interpretandi modus hic eſt, cùm in eo interpres laborat ut verum autoris ſenſum ob oculos ponat. Quid autem in ejuſmodi interpretatione potiſſimum requiratur, id potius *Petri Nannii*, Viri Doctiſſimi, quam meis verbis proponam. Sic igitur ille Συμμίκ. *Lib.* I. *c.* 3. *Video in omni tranſlatione tria eſſe obſervanda. Ut verba, quatenus licet, retineantur, quale eſt verbum verbo expreſſum, quod iſto in loco veſtitum apellabimus. Ut ſententia ubique incolumis maneat, quod pro corpore imputabimus. Denique ut indoles incorrupte ſervetur, quod (ſi licet) animam orationis nominare poſſes. Ea autem conſiſtit*

in

in ipsis figuris dictionis, & moratam actuosamque sententiam reddit. Multum enim interest an per ἐρώτησιν, an per εἰρωνείαν, an interrogationem, insultationem, optationem, vel affirmationem enunciaveris. Jam superiori seculo quidam verba verbis ita admensi sunt, ut sententiam depravarint, non aliter quam indocti pictores, qui operosi in cultu effingendo, membra secundum vestem distorquent: cum Apelles Parrhasiique prius nudum corpus efformare, quam vestem superinducere soleant. In quorum numero Argyropylum reponas & Ruffinum, alterum interpretem Aristotelis, alterum Gregorii Nazianceni, de quibus vere id hemistichii dici potest:

—— —— DANT SINE MENTE SONUM.

Fit autem illud vel ex inscitia, vel ex κακοζηλία: cum enim sententiam apprehendere nequeunt, verba reddunt, quasi quod ipsi non intellexerint, alius ex illorum verbis intelligere queat: cum verba non minus ex sententia vim suam & significatum accipiant, quam sententiam constituant. Aliqui rursus: fidem existimant à numero verborum non discedere. Alii aliquanto feliciores verba simul & sententiam reponunt; sed indole prorsus extincta. Ex quorum translatione quid autor dixerit vides, sed quo modo dixerit non vides. Vis enim affectuum, gratia figurarum,

lepor,

lepor, venustas, elegantia dignitas; acrimonia, arguties nusquam apparent. Talis est (haud dubie) Marsilius Ficinus, ex cujus quidem traductione sentimus, quid Plato velit; sed ita, ut si ipse Plato legeret, pro suis non agnosceret. Ubi enim in Latinis Heroica illa vis & sublimitas grandiloqua? Ubi ista beata, nec tamen ociosa verborum luxuries. Mentior, nisi id statim judicaturus es, lecto Platonis Axiocho ab Agricola verso. Est quidem illud opus adulterinum & è Platonis familia eliminatum; sed tamen dexteritate vertendi jus legitimorum filiorum & adoptionem emeruit. Qui igitur reddendis verbis sententiam corrumpunt monstra gignunt. Qui sententiam incolumem indole extincta afferunt, cadaver edunt, vel (si malis) sceleton. Omne autem punctum tulit, qui tria ista officia absolvit. Pro exemplo adduci posset Angeli Politiani Moschus, ubi verbum verbo, sententia sententia, versus versui, servatis iisdem numeris redditur. Sed quia operosius hoc est, ideo eruditissimi quique circa sententiam & indolem diligenter versantur, levi verborum cura habita, Qualis est H. Barbarus, atque adeo ipse Cicero. Nec longe abest ab iis G. Budæus. Religiosiores autem Erasmus & Rodolphus Agricola. Hactenus eruditissimus *Nannius*, quem describere non piguit, quia rarissime prostat, & placitura credo cordato lectori, quæ dixit verissima. Illud in primis certum est, eruditissimos quosque interpretes, levi verborum cura habita, ad sententiam

& indolem potissimum attendere. Quid *Cicerone* in vertendo eruditius aut elegantius dici aut fingi potest? Is tamen parum de verbis sollicitus, in hoc tantum incubuit, ut ipsam sententiam exprimeret. Digna sunt in hanc rem quæ conferas diligenter collecta ab *Henrico Stephano in Lexico Græ. Lat. Ciceroniano.* Quin ipsum *Tullium* audiamus *Lib.* III. *de Finib.* Ibi docens de Philosophia Græca quo modo Latine disserendum sit ita Catonem alloquitur: *Nec tamen exprimi verbum è verbo necesse erit, ut interpretes indiserti solent: cum sit verbum, quod idem declaret, magis minusve usitatum. Equidem soleo etiam, quod uno Græci, si aliter non possum, idem pluribus verbis exponere.* Hoc vero quo pacto fiat non aliunde melius, quam ex ipso *Tullio* discemus. Sic igitur ille *de Opt. Gener. Orat. Converti enim ex Atticis duorum eloquentissimorum nobilissimas orationes, inter se contrarias, Æschinis Demosthenisque: nec converti ut interpres, sed ut orator, sententiis iisdem, & earum formis tanquam figuris, verbis ad nostram consuetudinem aptis: in quibus non verbum pro verbo necesse habui reddere, sed genus omnium verborum vimque servavi: non enim ea me adnumerare lectori putavi oportere, sed tanquam appendere.* Quod autem se non ut interpretem, sed ut oratorem convertisse ait, id de ejusmodi interprete intelligendum est, quem priori loco indisertum vocaverat, vel qui in puerorum gratiam, ut Græce discen-

discentes vim proprietatemque verborum perciperent, verbum è verbo exprimebat. Certe cum *Cicerone* bene convenit Hieronymo, cujus verba *ad Pammach. de Opt. Gen. Interpr.* ita habent. *Sufficit in præsens nominasse Hilarium confessorem, qui homilias in Job, & in Psalmos tractatus plurimos in Latinum vertit è Græco; nec adsedit literæ dormitanti, & putidâ rusticorum interpretatione se torsit; sed quasi captivos sensus in suam linguam victoris jure transtulit. Qui secus faciunt*, hos alibi ait, *verbum de verbo exprimere conantes, obscuriores facere sententias, & veluti herbis crescentibus frugum strangulare ubertatem.* Quare interpretationem illorum *putidam* vocat, hoc est, (uti observat maximum haud ita pridem Belgii lumen *J. F. Gronovius Observat. in Script. Ecclesiast. Cap.* XIX.) anxiæ, stultæque diligentiæ. Sed cum nullibi aut perrarò hoc significatu ea vox inveniatur, vir maximus heîc dormitasse videri potest. Locum enim *Ciceronis Lib.* III. *de Orat.* sive malo libro, sive memoriâ deceptus citat perperam. Nam ibi non legitur, ut vult Gronovius, *Nolo exprimi putidius, nolo obscurari diligentia*: sed, *Nolo exprimi literas putidius, nolo obscurari negligentius.* Quid autem *putidum* sit, ex *Nonio Marcello* discimus. *Putidum*, inquit, *non solum ab ore fœtido & gravi, quod naribus præbetur, sed & quod auribus triste, & insuave, austerum, & rancidum, id putidum dici posse, auctoritas vetustatis admisit.* Literæ igi-

tur exprimuntur. *putidius*, cum vox austerę & insuaviter sonat, cui vitio illud opponitur, cum exilius efferuntur, aut pravâ quâdam negligentia in ipso quasi ore opprimuntur. Hoc satis patet ex iis, quæ statim apud *Ciceronem* subsequuntur: *Nolo verba exiliter examinata exire, nolo inflata & quasi anhelata gravius*. Et *alibi* idem *Cicero* ait: *Sonus erat dulcis, literæ neque expressæ, neque oppressæ, ne aut obscurum esset, aut nimis putidum*. Hinc patet *putidam interpretationem* Hieronymo non eam dici, quæ anxiæ nimis stultæque diligentiæ esset; sed quæ austerior atque insuavior, qualis eorum est, qui verbum de verbo exprimentes obscuriores faciunt sententias. Quod autem dixi illam vocem istoc significatu perrarò inveniri, non ita intelligendum est, quasi *putidus* non sæpe significet hominem nimis diligentem, præsertim in re non magni momenti, in re quapiam persequenda nimium: sed nego eam rebus tribui. Hominibus ipsis adscribi certissimum est. *Affectatus* contra non hominibus adscribitur; sed rebus, quæ dicuntur affectatæ. Sic dicimus affectatus sermo, affectatus incessus, affectata oratio &c. Vide *Joan. Vorstium de Latinitate merito suspecta C.*15. Omnes igitur, qui rusticis hisce & indisertis interpretibus præstare student, summa ope niti dicet, ut cum sententias recte perceperint, easdem ita reddant, ut ne versæ quidem esse videantur. Hac laude claruit Nicolaus Perottus, celebre inter doctos nomen, de quo ita alicubi magnus

Ca-

Casaubonus: Erat in hoc viro non vulgaris industria in Græcis ita vertendis (quæ quidem intelligeret) ut nullum persæpe Græci idiomatis in Latina ejus versione vestigium appareret, quam interdum esse opus αὐτοφυὲς dicas, non alieni interpretationem. Istud ex *Paulo Jovio* discimus quosdam ex æmulis ideo ejus versionem, quam ex Græco Polybii fecerat, antiquissimam fuisse furtoque surreptam judicasse, quod omnes aliorum interpretationes recens factas prorsus antecederet. Si quid reticetur, quod in alia lingua omitti non potest, id addant: si quid vero præter sensum ornatûs gratia maxime in orationis particulis additur, id nisi eleganter exprimi potest, omittant. Quare nec iisdem periodis includi necesse est, vel iisdem distinctionibus orationem interpungi. Nolim tamen hoc eo animo à me dictum quispiam existimet, quasi temere à verbis recedendum sit: nam optimum esse censeo, ut illa, quatenus liceat, retineantur, nec quicquam præter eorum sententiam, assuatur. Hoc est, quod *Horatius* monet:

Nec verbum verbo curabis reddere fidus
Interpres.

De quo loco vide sis *Henricum Stephanum Schediasm. Lib.* I. *Cap.* 19. *& Observ. in Horat. Diatribâ V. in fine.* Hoc interpretandi genere se valde delectari idem alibi ait in *Pseudo-Cicero-*

ne Dialogo, cum propemodum verbum verbo redditur: quæ certe interpretatio, quoniam est adstrictior, veniâ quoque digna est, si quid habet duriusculi. Ejusdem etiam sententiæ est *Erasmus*, adeo ut minus quoque in hac parte Ciceroni faverit. Tœdio non erit Viri magni verba describere ex *præf. præfixâ Hecub. & Iphig. Tragœd.* à se in Latinum sermonem conversis: *Conor, quo ad licet, Græcanici poematis figuras, quasique filum repræsentare, dum versum versu, dum verbum pene verbo reddere nitor, dum ubique sententiæ vim, ac pondus summa cum fide Latinis auribus appendere studeo. Sive quod mihi non perinde probatur illa in vertendis autoribus libertas, quam Marcus Tullius ut aliis permittit, ita ipse (pene dixerim immodice) usurpavit, sive quod novus interpres in hanc malui peccare partem, ut superstitiosior alicubi viderer potius, quam licentior, id est, ut litoralibus in harenis non nunquam hærere viderer potius, quam fracta nave mediis natare fluctibus; maluique committere, ut eruditi candorem, & concinnitatem carminis in me forsitan desiderarent, quam fidem.* Istud mihi negare nemo poterit, diligenter imprimis perscrutandum esse cujusque linguæ genium, ut sciatur ubi verbis sit inhærendum, vel ab iis plus minusve declinandum. In eo enim negotium omne consistit, ut eleganter juxta ac vere autoris sensum versione nostra lectori ob oculos ponamus. Qui hoc consequutus fuerit, is

omne

omne punctum tulit. Maxime autem necessarium est, ut adagia, quæ non rara occurrunt, adagiis, & idiomata idiomatibus vertantur, quod neglectum obscuritatis plurimum parit: adeo ut quid dicatur sæpe non intelligas: *Hieronymus ad Suniam & Fretellam* ait, *Hanc esse regulam boni interpretis, ut idioma alterius linguæ suæ linguæ exprimat proprietate: quod quidem & Tullium in Protagora Platonis, & in Oeconomico Xenophontis, & in Demosthenis contra Æschinem oratione fecisse convincimus, & Plautum, Terentium, Cæciliumque, eruditissimos viros, in Græcis comœdiis transferendis*. Duo sunt, quæ hic potissimum moneam. Unum, ut ubi dubia sit orationis incerta sententia, eam quoque dubie ac incerte reddas. Maxime mihi semper placuit, quod de emendandis autoribus ait Vir Cla. *Vincent. Contarenus de Frument. Rom. Larg. Pag.* 34. Hoc quæso, Lector, ad eos interpretandos transfer. Sic ille: *Statuo igitur esse emendandi genus vetustis autoribus imprimis perniciosum, quo tollitur verbum, cujus multa esse notiones possunt, & supponitur alterum, cujus vis pertinet ad pauciora. Quod si id eo consilio fiat, ut unum tantum significet, ferendum non esse, ne si constet quidem, id ipsum scriptorem dicere.* Alterum, ne rebus antiquis nomina imponamus recens nata: quod imprimis observari velim circa dignitates & munera, quibus cum nostris nulla est convenientia. Quo pacto enim *Ædiles, Prætores, Proconsules, Tribunos,*

nos, *Propratores &c.* hodiernis dignitatum nominibus ita exprimas, ut quæ eorum munera fuerint, sciri à quopiam possit? Præstat ut ipsa Latina nomina retineantur, quorum explicatio vel marginem occupare, vel calcem subsequi potest. Consule, si placet, Doct. *Sorellum dans sa Bibliotheque Françoise Chapit.* IX. *Pag.* 235. Plura quidem animo obversantur, qui monerem forsitan non indigna: sed delibare hanc materiam, non exhaurire constituimus. Olim pluribus & accuratius dicemus. Jam

Condo & compono, quæ mox depromere possim.

Interim maxime desidero librum *de fidi interpretis officio*, quem conscripsisse se affirmat *Henricus Stephanus Schediasm. Lib.* III. *Cap.* 27. nec non Cl. *Casauboni* Diatribam quam de optimo genere interpretandi ex una in alteram linguam, quâ se adversus eos defendit, quibus nulla probatur versio, quæ non sit κατὰ πόδα, & pene de verbo ad verbum expressa. Hanc ait se composuisse *Præf. Polybio præfixâ.* Sed pergamus. Inter eos, qui interpretandi negotium in se susceperint, plurimum sese mihi approbant Galli, quorum labor in eo potissimum desudat, ut eleganter sententiam exprimant: quamquam plusculum sibi alicubi in quibusdam mutandis indulsisse haud negem. Eorum, qui scriptores ex Græco fecerint Latinos, alii aliis fuerunt multo feliciores. Tres maxime laudantur, Sigismundus Gelenius, Guillelmus Xylan-

Xylander, & Fredericus Sylburgius. Hos tamen omnes anteit Angelus Politianus, qui Herodianum optimum scriptorem optime ac supra quam dici potest eleganter, transtulit. Non ignoro H. Stephanum multa in Politiano reprehendisse: sed id minus ex merito tanto interpreti accidisse, luculenter ostendit J. H. Bœclerus, cui res literaria ut plurimum debet, ita quoque plurimum vult debere. Non plane aberrasse à vero Vir hic Clarissimus censendus est, cum ait, Henricum Stephanum, tum alibi tum in illa in Politianum censura præsertim prodidisse, se minus Latine quam Græce eruditum. Certe Stephanum multum in literis potuisse, tot ipsius monumenta testantur, quot nulli ferme post se reliquerunt. Verum enim vero non raro in id vitium incurrit, quod *Horatius* his verbis notat:

Quum tua pervideas oculis mala lippus inunctis,
Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum,
Quam aut aquila aut serpens Epidaurius?

Hoc credo occasionem dedisse *Josepho Scaligero Scaligeranis Primis Pag.* 55. ita, quamquam paulo durius scribendi: *Lexicon Erotiani exstat Genevæ apud Henricum Stephanum, apud quem invenias auctores mire depravatos, quippe qui* φιλαυτίᾳ *laborans temere quicquid displicet immutat, & corrumpit.* Male itaque Vir doctissimus istam Politiani versionem, cui similem hactenus

in nullo scriptore habemus, tot castigationibus non necessariis in ordinem redigere conatus est. Cum istam versionem Politiani esse dico, communem sequor sententiam: non enim desunt, qui eam Tiphernati adscribant. *Paulus* quidem *Jovius Elogio Tiphernatis* hæc verba usurpat: *Fama quoque fertur Herodiani historias ejus ingenio laboreque fuisse translatas: quasi eas morienti subtraxerit Politianus, vir in literario negotio sæpe convictus furti.* Vide *Gerar. Joan. Vossium insigni opere de Historic. Lat. Pag.* 628. *& de Poëtis Latinis Pag.* 79. Sic certe plagiarius fuerit Politianus, & ex Justininiani, sive alius cujusdam ex Orientis Imperatoribus constitutione manus amputatione mulctandus. Vide *P. Fabrum Semest. Lib.* III. *Cap.* 19. Quam pænam ex hodiernis scriptoribus, si rigido jure ageretur, pauci effugerent: esse enim plagiariorum multa genera magnamque copiam prolixe ostendit Jesuita *Rainaudus Erotemat. de bonis & malis libris*, in quo libro cum liberam de multis censuram instituisset, Romanæ curiæ censuram effugere non potuit. *Voiez le Journal des Sçavans de l'an 1667. P.* 79. Proxime ad Politianum accedunt in interpretationis genere duo clarissimi viri Isaacus Casaubonus & Nicolaus Alemannus, quorum alter Polybium, alter ἀνέκδοτα Procopii in linguam Latinam ex Græco convertit: ita tamen ut non nihil discriminis intersit, cum liberius & cum quadam paraphraseos mixtura sensum exprimant. Adi doctis-

doctissimum *Boeclerum in Herodian. Annot. P.* 462. De se quidem ipse *Alemannus præfat. secund. P.* 15. sic loquitur : *Nostra verò translatio sententiis quidem ad Græcæ historiæ fidem, verbis & modis ad Latinam consuetudinem aptis composita est. Id genus interpretandi cum Hieronymo ac universa antiquitate optimum puto; & si historiam interpreteris, id maxime convenire censeo : denique si cujus alterius scriptoris, Procopii certe stylus hoc in primis requirere semper visus est mihi, cujus formam dicendi si spectes ea sophisticis compta est lenociniis, Atticisque leporibus ad ostentationem instructa, à quo orationis habitu Latina gravitas præsertim in historia quam abhorreat nemo nescit.* Quod hactenus contra eos scripsimus, qui dum verba annumerant, sententiam depravant insipidamque reddunt, id eos non excusat, qui ut verborum, ita & sententiæ parum solliciti, vel demunt multa, vel addunt de suo. Hac labe neHieronymum quidem caruisse,& ipse de se alibi testatur, & ex Ruffini in eum invectivis constare cuivis potest. Jam qui,qualisque interpres ipse Ruffinus fuerit, luculentissimo documento est (ut nihil dicam de Josepho,si credere fas est,ah hoc ipso Ruffino translato : vide *Th. Reinesium Epist. ad J. Vorstium p.* 50.) ab eo olim Latine edita ecclesiastica Eusebii historia. Si quis enim Græca cum Latinis contenderit, reperiet Ruffinum audaci licentia usum multa addidisse, demisse, plura, nec pauciora mutasse, dimidium octavi libri omisisse, decimum

mum vix attigisse. Non minus, si non magis quoque, in Originis scriptis transferendis audaciæ suæ dicam? an impudentiæ hunc hominem indulsisse omnium clarissime docet *Joan. Dalæus*, Vir eruditissimus, quem adi *Lib.* II. *de scriptis Pseudo-Diony:* & *Pseudo-Ignat: Cap.* 40. & *seqq.* nec non *Christ. Sandium Tract de Veter: Script: Ecclesf: Pag.* 65. & *seqq.* Sic igitur statuimus, à verbis quandoque discedere interpretibus licere, à sensu vero nunquàm. Magis tamen illud de profanis quam sacris scriptoribus affirmandum ducimus, in quibus interpretandis major est, etiam circa verba, cautio diligentiaque adhibenda. Quare illorum opera maxime laudanda est; qui iisdem Phrasibus, & totidem verbis, si potest, sacros autores convertunt, quibus quisque usus est suâ linguâ. Aliter enim se habent, quæ divinitus conscripta sunt, quam, quæ hominum excogitat industria. Illa non modo verissima sunt; sed ita quoque prolata atque expressa, ut elegantius significantiusve non possint. Tanta profecto Phrasium verborumque vis est, quibus sacris utuntur scriptores, ut frustra sint, qui eam assequi se posse sperent. Neque id mirum cuiquam videri debet: sunt enim ea, non minus quam ipsæ res, divinitus prolata. Est quidem inter sacros autores non parva stili diversitas, pro cujusque genio ingenioque; sed quam ita semper Deus direxit, ut non, nisi quam optime, res divinas proponerent. Quod si nos Sacrorum scriptorum elegan-

elegantiam non capimus, id nostra culpa accidit, qui simus in iis suâ linguâ legendis parum exercitati. Non negamus quidem abesse à Sacra Scriptura mellitos verborum globulos, ac flosculos, quos in prophanis scriptoribus captamus: sed eos recte abesse, ii intelligunt, qui sciunt τοῦ πρέποντος *decori* ubique rationem esse habendam. Ibi sermo instituitur à viris sanctis & non nisi de rebus gravibus. In his nihil fuci opus est, illecebrarum nihil. Possumus huc accommodare quod de pulcra muliere *Plautus* ait, *Mostel. Act.* I. *S.* 3.

Pulcra mulier nuda erit, quam purpurata, pulcrior.
Postea nequicquam exornata est bene, si morata est male.
Pulcrum ornatum turpes mores pejus cœno conlinunt:
Nam nisi pulcra est, nimis ornata est.

Bene igitur, meo judicio, scripsisse videtur *Flaccius Illyricus Clav. Sac. Script. Part.* II. *pag.* 15. *Etsi non adsunt illæ otiosæ delicataque Veneres aut illecebræ, illa externa dulcedo aut blanditia, illa numerositas sonorum, seu nugæ illa canora in sermone sacrarum literarum, quæ in ostentatoriis oratorum Poëtarumque scriptis tunc temporis in Græcia & Roma maximâ cum aviditate & admiratione audiebantur & celebrabantur, tamen suâ gravi masculaque eloquentia minime destituuntur.* Consule porro summum Theologum *Andream*

Rive-

Rivetum Isag. ad Soc. Script. Cap. 28. *& quos ibi citat autores, imprimis illustrissimum Plessaum de Verit. Relig. Christ. Lib.* IV. *Cap.* 26. Quis itaque ferat istiusmodi homines, qui ullam sacris literis inesse eloquentiam negant, quales aliquot in Italia olim fuisse, sunt qui memoriæ produnt. Inter hujus farinæ ingenia chorum duxit Petrus Bembus, qui cum in id totis viribus incumberet, ut in solutâ oratione Ciceronis puritatem, ac in ligatâ Ovidii assequeretur suavitatem facilitatemque, Cardinalis factus, & à quodam è collegis admonitus, sacris literis operam ut daret, & Prophetica atque Apostolica scripta evolveret, inverecunde profecto ac impie respondit, se semel illa legisse, & valde fuisse offensum, cum ob humile & vile dictionis genus, tum ob res ipsas: nusquam enim se apud ullum scriptorem legisse orationem minus compositam & cohærentem, aut in omnibus partibus minus consentientem: amissurum quin etiam quod reliquum haberet pietatis, si semel præterea Sacra Biblia legendo perlustraret. Non desunt qui simile quid de Angelo *Politiano* narrant, quos hoc unum satis refellat, quod ipse ait *Lib.* IV. *Epist.* 10. *Cum per hos quadragesima proximos dies enarrandis populo sacris literis essem occupatus, pellegi tamen libros carminum tuorum, quos mihi tu pro singulari humanitate tua, mutuoque inter nos amore dedicaveras.* Adi sis *Vossium de Poëtis Latinis pag.* 80. Quanto satius est id dicere, quod

Esaia

Esaia Propheta alibi à *Joan. Pico* dictum, toti Sacræ Scripturæ convenit. Scilicet nihil esse tam vehemens, tam sublime, tam copiosum, tam resonans, nihil tam terrorem incutiens, nihil tam veram artem undique spirans. Ejusmodi enim eloquentiam divinis autoribus, asserimus, quæ est cum maxima significantia ac perspicuitate conjuncta. Si qua autem nobis videntur obscuriora, id plerumque nostræ adscribendum est negligentiæ, aut Phrasium verborumve ignorantiæ. Non est hîc perfunctorie agendum; cum Sacra Scriptura plurima in recessu recondat, quæ frustra sæpe exprimere conatur humana industria. Mihi certe id aliquoties usu venit, ut tantam in sacris literis invenerim vim & efficaciam, quantam verbis efferre non poteram. Quis igitur neget, eum optime facere, qui in istis vertendis, quantum sententia patitur, verbum de verbo transfert, & phrasibus iisdem sibi utendum putat, licet sint aliquando auribus nostris insolentiores. Constat hoc fecisse Septuaginta interpretes, quorum versio Hebraïsmis scatet quam plurimis, quos scilicet eâdem vi sese transferre posse desperabant. Hebræam linguam suas habere Veneres maxime cum agitur de rebus sacris, quas cæteræ linguæ non assequuntur, norunt eruditi omnes: sed ii imprimis, qui conati sunt aliquid ex Hebræo transferre. Hinc *Sirachidis* vetus querela *præf. in Librum ex Hebræo avi sui conversum*: Παρακέκλησθε ἂν μετ' εὐνοίας ϗ προσοχῆς τὴν ἀνάγνωσιν ποι-

εῖσθαι

[illegible], καὶ συγγνώμην ἔχειν ἐφ' οἷς ἂν δοκῶμεν τῶν καὶ τὴν ἑρμηνείαν πεφιλοπονημένων τισὶ τῶν λέξεων ἀδυναμεῖν, οὐ γὰρ ἰσοδυναμεῖ αὐτὰ ἐν ἑαυτοῖς Ἑβραϊστὶ λεγόμενα, καὶ ὅταν μεταχθῇ εἰς ἑτέραν γλῶσσαν.

Admoniti itaque estote, ut cum benevolentia & æquitate hæc legatis, & veniam detis, sicubi videbimur circa interpretationem laborando vim verborum quorundam non assequuti: non enim æque valent illa, cum Hebraice dicuntur, & cum fuerint in aliam linguam translata. Quin videte Novi Testamenti divinos autores, qui cum alibi passim, tum præsertim, dum quædam ex Veteri Testamento testimonia proferunt, meros Hebraismos spirant. Neque quicquam interest, sive eos suis verbis, sive iis, quæ in versione τῶν septuaginta invenerant, usos esse dicas, dummodo id fatearis, quod fateri necesse est, eos divinitus inspiratos nihil, quod optimum non esset, aut scribere aut approbare potuisse. Scio quidem non deesse qui ita dictitant, nullas phrases vel verba in Novo testamento inveniri quæ itidem apud alios autores non inveniantur; esse Græce & id pure conscriptum. Hoc aliquando non inepto libello stabilirum ivit *Doct. Pfochenius*; sed felicissime hunc refutavit Vir immortali nomine dignissimus *Thomas Gatakerus in Aurea de Stylo Novi Testamenti Dissertatione.* Nam etsi negari non potest phrases quasdam formulasque in Græcis scriptoribus, quantumvis probatis, reperiri, quæ sint iis similes, quas in Novo Testamento Hebraismis accensemus, inde tamen non recte concludes

cludes esse pure Græcas. *Tum*, ut loquar cum Gatakero dict. dissert. Cap. 5. *de usu sensuque vocabulorum, illud observarunt Viri magni, quod nemo hactenus est inficiatus, nec etiam inficiari quisquam poterit, nisi mero meridie solum ortum negare animum obstinaverit, Testamenti Veteris interpretes Græcos, hosque sequutos novi scriptores, vocabulis Græcis plures sensus significatusque tribuisse quam Græci sermonis usus receptior ferat; quia quæ illis in sensu primo proprioque apud Hebræos respondent, notiones in ea lingua plures designant.* Quamquam & hoc diffiteri nolim, non continuo Hebraismis accensendum esse, quod eorum speciem gerat, qua de re consule Doct. *Reinesium Epist. ad Joannem Vorstium p.* 38. De ipsis autem Hebraismis vide hunc *Vorstium duabus, quas edidit, partibus de Philologia Sacra*, ubi unam & triginta Hebraismorum classes enumerat. Quod si quis me roget, unde illæ sint phrases & vocabula in probatis Græcæ Linguæ autoribus, quæ in sacris literis inter Hebraismos ponimus, affirmare non dubitabo, ea in Græcam linguam primitus illata esse ab iis, qui inter Hebræos versati erant, vel Biblia sacra legerant in vernaculam conversa. Quod ne cui parum videatur verisimile, is velim sciat plusculos ex Ethnicis Pphilosophis sapientiam suam hausisse apud Judæos. De Pythagora audiamus *Originem Lib.* 1. *cont. Cels. pag.* 13. Λέγεται δὲ Ἕρμιππον ἐν τῷ πρώτῳ περὶ νομοθετῶν ἱστορηκέναι, Πυθαγόραν τὴν ἑαυτοῦ φιλοσοφίαν ἀπὸ

Ἰουδαίους εἰς Ἕλληνας ἀναγαγεῖν. *Fertur & Hermippus Li-
bro primo de Legiſlatoribus memoria prodidiſſe,
Pythagaram philoſophiam ſuam à Judæis tradu-
xiſſe ad Græcos.* De Platone quidam tradunt,
eum in Ægypto audiviſſe Hieremiam Prophetam,
quos quamvis *Auguſtinus* ex temporum ratione
refellat, tamen aſſerit eum divinarum literarum
minime ignarum fuiſſe, *de Civit. Dei Lib.* VIII.
II. Quod magis erit credibile, ſi ſtatuimus quin-
que libros Moſis, ut non nulli ſentiunt, dudum
ante ſeptuaginta Interpretes Græce fuiſſe conver-
ſos. Recte itaque *Origines cont. Celſ. Lib.* VI.
pag. 288. Ἐγὼ δὲ οὐκ ἀπογινώσκω τὰς ἀπὸ τοῦ Φαίδρου λέξεις
ἀπό τινων Ἑβραίων μεμαθηκότα τὸν Πλάτωνα, ὥς δέ τινες ἀνέγρα-
ψαν, ἔτι δὲ τοῖς προφητικοῖς ἐντυχόντα λόγοις. *Nolim in-
ficiari ſententias iſtas, quæ in Phædro leguntur,
Platonem hauſiſſe ab aliquibus Hebræis, quin
etiam, ut quidam tradunt, ex verbis propheticis.*
Vide eundem *Originem Lib.* VII. *pag.* 352. *Au-
guſtinum de Civit. Dei toto Libro* VIII. *Chriſto-
phorum Sandium, Virum doctiſſimum, ſed plus
æquo paradoxis addictum, Diſſert.* περὶ τοῦ λόγου
pag. 281. *& de Orig. Animæ pag.* 86. *&* 118.
etiam H. Stephanum Lib. III. *Schediaſ. C.* III.
IV, V, VI, VII, VIII. Ex quibus omnibus ſatis ap-
paret Platonem ſcripſiſſe multa de Deo & rebus
divinis, quæ non aliunde hauſerit, quam ex ſa-
cris literis, & adeo, quæ veritati noſtræ religio-
nis congruunt. Hinc non immerito à Numenio,
Philoſopho Pythagorico dictum eſt: Τί ἐστι Πλάτων ἢ

Μωϋ-

Μωϋσῆς ἀττικίζων, *Quid est Plato alind, quam Moses Attice loquens.* Atque hic ipſe Numenius plurima quoque ex Prophetis in libros ſuos tranſtulit, teſtante *Origine cont. Celſ. Lib.* I. *p.* 13. ad quem locum vide *Spencerum in Notis.* Nolim tamen hoc ita dictum à me quiſpiam exiſtimet, quaſi omnia, quæ apud Ethnicos ſacris Bibliis convenientia occurrunt, inde eſſe tranſlata putem; in qua ſententia nimii fuerunt quidam inter veteres Chriſtianos: nam *nimis quaſitum, ne quid gravius dicam, mihi videtur, continuo ſtatuere ea, quæ in Homeri & Platonis libris veritati ſacrarum literarum, conſentanea leguntur, ex Moſe aliiſve auctoribus ſacris eſſe deſumpta*, ut loquar *Buxhornii* verbis, quem adi *Quæſt. Rom. cap.* 13. *pag.* 63 *ut & Reineſium Epiſt. ad Vorſtium pag.* 38, Tamen hoc omnino certum eſſe videtur, ſapientiores inter Græcos ſacra volumina lectitaſſe. quod ne de Latinis quidem Ovidio imprimis, negari poteſt, maxime poſtquam ἡ Septuaginta verſio (liceat nobis ſic ſcribere, donec contrarium probaverimus) ſub Ptholomæo Philadelpho procurata per latum orbem vagari cœpiſſet. Hinc deſumptæ ſunt illæ formulæ loquendi, quæ Hebraiſmum ſapiunt, ab iis, qui ipſa Biblia legerant, dein quoque ad alios propagatæ. Sic plane conſtiterit, non recte à quibuſdam concludi, eſſe mere Græca, quæ apud ſacros autores occurrunt, quia aliquando his ſimilia apud Græcos ſriptores, eoſque claſſicos, in-

veniuntur : quamquam sæpe, cum videntur esse similia, magna differentia intercedat. Hoc ita esse, cum pluribus possem, duobus tantum exemplis ostendam. Nihil est apud Hebræos usitatius, quam ut, cum affectione quadam præditum significare volunt, hunc istius affectionis filium vocitent : quem loquendi modum sæpe quoque in Novo Testamento reperimus. Sic *filium iniquitatis* dicunt pro homine iniquo, & *filium inobedientiæ* pro homine inobediente. Hanc phrasin quidam non tantum pure Græcam esse contendunt; sed & Latinis quoque usitatam, quia simile quid apud Varronem legisse se putant, quod tamen valde est dissimile. Quippe ajunt Varronem apud *Nonium Marcellum in Bivira* dixisse *inconstantiæ filium* pro homine inconstante, his verbis: *Ad biviram venio, cum vellem*, ostendere quid vellem *metamelos inconstantiæ filius me reprehendit.* Ac sicquidem *Drusius Observ. Lib.* IV. *c.* 2. *& posthunc Casaubonus Notis ad Matth. c.* 23. senserunt. Sed quis non videt Varronem non loqui de homine inconstante, sed τὸν μετάμελον, hoc est, pænitentiam inconstantiæ filium dixisse : qui enim inconstantes sunt & in proposito non permanent, eos ut pœnitentia sequatur necesse est. Sic quidem recte Petrus Victorius Varronem exposuit, cum docere vellet, consuevisse eum appellare res inanimas rerum itidem inanimarum filios. Vide sis sæpius jam citatum *Reinesium Epist. ad Vorstium pag.* 41. *& ipsum Vorstium Philog.*
Sac.

Sac. Part. II. *cap.* 24. *pag.* 53. Non raro in Veteri Teſtamento vox נפש quam Septuaginta Interpretes fere ſemper per ψυχὴν reddunt, ſumitur pro cadavere, id eſt, corpore animâ caſſo. Ut hanc τ ψυχῆς, id eſt, animæ ſignificationem etiam Græcis uſitatam fuiſſe oſtendant, valde quidam laborant: quin & apud Principem Latinorum Poëtarum inveniſſe ſe gloriantur. Sic enim ille, cum loquitur de Troianis ſepelientibus Polydori corpus *Æneid. Lib.* III. *v. 66.*

Inferimus tepido ſpumantia cymbia lacte,
Sanguinis & ſacri patinas, animamque ſepulcro
Condimus.

Verum enim verò, (ſinamus, quæſo, veteres avias nobis à pulmone revelli) hoc dictum eſt ex ethnicorum ſuperſtitione, qui credebant animas eorum, qui inſepulti jacebant, ubique vagari, nec poſſe eſſe quietas. Poſt juſtam ſepelitionem demum animam cum corpore monumento includi. Digna ſunt, in hanc rem quæ legas apud *Plinium juniorem Lib.* VII. *Epiſt. 27. & Aug. Buchnerum ad illum locum.* Ideo Ethnici valde de ſepelitione erant ſolliciti. Hinc lux oritur *Horatio Lib.* I. *Od.* 27. ubi Archytam geometram hoc pacto inducit loquentem:

Me quoque devexi rapidus comes Orionis,
Illyricis Notus obruit undis.
At tu nauta, vaga ne parce malignus arena
Oſſibus, & capiti inhumato
Particulam dare.

Proin ſatis mirari non poſſum, quid doct. *Gatakerum Differt. de ſtylo N. T. cap.* 10. *pag.* 107. impulerit ut communem ſequutus opinionem ſtatueret animam apud Virgilium ſumi pro cadavere. Ne quis vero me putet hic ſolum incedere. adeat Eruditiſ. *Cuperum Obſerv. Lib.* I. *cap.* 20. *nec non maximum Salmaſium in Simplicium pag.*327. Jure merito itaque ſtatuo, eſſe ita profecto, ut dixi: Septuaginta Interpretes verbis phraſibuſque Hebræis inhærere, ſatius duxerunt, quam ab illis diſcedere; etſi neſcire non poterant, id fieri cum nonnullo puritatis linguæ Græcæ damno. Ac quoniam idem à divinis N. Teſtamenti ſcriptoribus factitatum eſt, facile viderimus, optime facere eos ſacrorum librorum interpretes, qui quam arctiſſimis cancellis ſe continent. Non tamen omnis verſio ſtatim rejicienda eſt quæ paulo liberius exſpaciatur; ſi hoc modo teneatur, non tantum divinæ autoritatis habere, quantum illa, quæ divina verba ac phraſes non excedit. Si qua præterea adduntur, aut mutantur ut ab hominibus profecta, ita & erroribus ſunt obnoxia. Hoc certe Angli quidam Theologi ſpectarunt, quibus cum Bibliorum verſio, ab Emanuele Tremellio & Franciſco Junio procurata, nimis à verbis phraſibuſque ſacris abire videretur (quo jure quave injuria jam non diſputo) eam in bibliopolis publice exponi paſſi non ſunt, niſi additâ cenſurâ, quâ teſtabantur, non ut accuratam metaphraſin, ſed ut paraphraſin; annotationes verò ut humanas

nas opiniones legendas esse: multa enim in iis esse, quæ probari non possint. Edita est hæc censura *Londini* M.D.XCIII. Neque similem, quoque vir solide doctus Theodorus Beza effugere valuit, cum longius in translatione Novi Testamenti à verbis sacris discedere nonnullis sit visus. Utiliter tamen ejusmodi versiones leguntur, quæ commentarii instar esse possunt; modo semper exigantur ad lapidem Lydium, quæ ipsa sunt sacrorum scriptorum verba, nude atque simpliciter proposita. Atque ista verba velim ut exprimantur istiusmodi verbis quibus ab initio Christiani assueverunt, quamquam alicubi minime sint Ciceroniana. Parum hîc elegantiis Latinæ Linguæ studendum, sed ut Christiani semper loquuti sunt, ita & nobis loquendum est. Nescio sane quid rudia illa verba, & sæpe parum Latina plus præ se ferunt majestatis divinitatisque, quam quæ magis Latina ac elegantiora esse nemo neget. Nisi hoc inde est, quod illis non utimur, quam ubi de rebus agatur & seriis & sacris. Minime igitur sese mihi probaverint, qui, ut exemplis rem illustrem, πίστιν per persuasionem potius, quam fidem; Ἀποστόλους per legatos potius, quam Apostolos; Ἐκκλησίαν per concionem potius, quam ecclesiam; χάριν per munificentiam potius, quam gratiam; βαπτίζειν per lavare potius aut tingere, quam baptizare; παράδεισον per pomarium potius, quam paradisum, qui hæc & hujus generis alia posteriore potius, quam priore modo reddunt.

Eleganter juxta ac vere hoc pridem docuit magnus *Erasmus*, cujus *Ciceronianum*, quæso consule, potissimùm *pag.* 97. *&* *seqq.* *Edit. Leidensis in* 12. Magna autem imprimis cautio provisioque adhibenda est, ne res sacras ejusmodi vocabulis exprimamus, quibus olim stolidi gentiles circa superstitiones suas usi sunt. Quis paulo in eorum scriptis versatior nescit, quam multa illi de geniis & oraculis suis confixerint? Ac quoniam Linguæ Latinæ cognitio ex prophanis istis scriptoribus haurienda est, facile adolescentulorum animis species earum rerum (Græce εἰδέας melius dixeris) imprimuntur, quas illi de geniis oraculisque suis tradunt. Unde provenire necesse est, ut si adolescentuli eadem vocabula in divinis scriptis legant, eò quoque transferant ideas, quas de ipsis rebus, quas ista vocabula designant, sibi in prophanis autoribus formaverant: quod ne quando fiat summis viribus est adnitendum. Multo itaque satius, angelos & prophetias dicere, quam genios & oracula. Atque utinam idem Sebastiano Castellioni animus fuisset, cujus translatio egregie quidem Latina est; sed non temere iis legenda, qui nondum in sacris sunt exercitati; quod recte quidem contra Episcopium *Rivetus* mihi visus est monere *Isag. ad* Sac. *Script. p.*917. *Edit in fol.* Nec valde mihi arrident Catullianæ hæ elegantiæ, quibus ille in versione Cantici Canticorum usus est: *Mea columbula in petræ forulis, in cochleæ latibulis, ostende mihi tuum vul-*

vulticulum, fac ut audiam tuam voculam : nam & voculam venustulam, & vulticulum habes lepidulum. Quanto formosiores habes mammulas, mea sororcula sponsa, quanto pulcriores habes mammulas vino. Tua plantariola sunt punicorum viridariolum. Aperi mihi, mea sororcula, mea amicula, mea columbula, mea perfecta &c. Quamquam forsitan hoc ab eo factum est majore venia, quod putaret istum Salomonis librum in sacro canone non esse habendum. Nam hunc errorem aliquoties sibi objectum nusquam, opinor satis diluit. Nollem tamen hunc Viri doctissimi laborem sic inique à quibusdam fuisse exceptum, ut eum diaboli instinctui adscribere veriti non sint. Sed pro instituti nostri ratione nimis fortasse diu hisce immoror. Jam pergamus ad tertium interpretandi genus, de quo haud ita multa habeo, quæ dicam. Hoc proprie paraphrasis dici solet, in qua sententiæ potius quam verbis studendum inhærendumque est. Quibus verbis hîc & quam multis utaris parum refert, modo verum autoris sensum ob oculos ponas. In ea autem plerumque continentur periodorum connexio, sententiarum pura explicatio, historiarum, fabularum, antiquitatum, troporum, allusionum, similiúmque rerum succincta enarratio. Unde pateat, non tantum quid sit scriptum; sed quâ ratione, & quibus modis. Certe hujusmodi paraphrasis non rarò magis ad scriptores intelligendos facit, quam prolixa commentaria. Quantum lucis magnus

Erasmus suâ Novi Testamenti paraphrasi sacris literis attulerit, nemo est, qui ignoret. Atque vellem in hoc quidam incumberent, ut quosdam ex Auctoribus profanis, Poëtas præsertim, ex Græco luculentâ paraphrasi trasnferrent in Latinum. Sunt quidem, quorum versio plus minusve ad paraphrasin verget: sed qui id ex professo egere, hactenus fuerunt admodum pauci. Nec scio an præter Pindarum quisquam alius paraphrasten nactus sit. Illum præterito sæculo Joannes Lonicerus, hoc nostro Joannes Benedictus egregiâ paraphrasi exornarunt. Plures sunt ex scriptoribus Latinis, quos doctissimi quidam Viri paraphrasi, ceu continuo commentario, explicuerunt. Inter hoc facile aliis palmam præripuerint Nicodemus Frischinus, qui Virgilium, Horatium, Persium; Eilardus Lubinus, qui Horatium; Joannes Bondius, qui Persium; Joannes Freinshemius, qui Tacitum hoc pacto illustrarunt. Non nihil jam dicendum restat de eo genere interpretandi, quod Poëtarum maxime, Oratorumque proprium est. Hi non omnia sic vertunt, ut inveniunt, sed pro libitu vel addunt multa vel demunt. Quid velim ex *Agellio* melius, quam me ipso intelliges. Hunc audi *Noct: Attic. Lib.* IX. *cap.* 9. *Quando ex pœmatis Græcis vertendæ imitandæque sint insignes sententiæ, non semper ajunt enitendum, ut omnia omnino verba in eum, in quem dicta sunt modum, vertamus: perdunt enim gratiam pleraque, si quasi invita & recusantia violentius trans-*

fe-

ferantur. Scite ergo & considerate Virgilius, cum aut Homeri, aut Hesiodi, aut Apollonii, aut Parthenii, aut Callimachi aut Theocriti aut quorundam aliorum locos effingeret, partim reliquit, alia expressit: Nec hoc à Virgilio tantum, sed etiam ab aliis plerisque factum est, imprimis à Terentio, qui multa ex Menandro vertit, non semper in istum, in quem dicta erant, modum. Hoc ipse innuit, cum

Quæ convenere in Andriam ex Perinthia
Fatetur transtulisse, atque usum pro suis

Qua quidem in re Nævium, Plautum, Ennium auctores habuit. *Hieronymi de optimo genere interpretandi* hæc sunt verba: *Terentius Menandrum, Plautus & Cæcilius veteres interpretati sunt. Numquid in verbis hærent? an non decorum magis & elegantiam in translatione conservant, quam veritatem interpretationis. Cicero Acad. Quæst. ad Varronem Lib.* I. hoc interpretandi genus vocat non verba, sed vim exprimere. Sic ille: *Quid enim causæ est, cur Poëtas Latinos Græcis literis eruditi legant, Philosophos non legant? An quia delectat Ennius, Pacuvius, Atticus, qui non verba, sed vim Græcorum expresserunt poëtarum? Quanto magis Philosophi delectabunt, si, ut illi Æschylum, Sophoclem, Euripidem sic hi Platonem imitentur, Aristotelem, Theophrastum? Oratores quidem laudari video, si qui è nostris Hyperidem sint aut Demosthenem imitanti.*

Hu-

Hujuſmodi quidem, ſive interpretationem ſive imitationem dicas, ſæpe Cicero uſurpavit, ut luculentiſſime oſtendit, cujus jam aliquoties memini, *Henricus Stephanus in Lexico Græc. Lat. Ciceroniano.* Neque ipſe *Tullius* hoc diſſimulat, quem audi *Lib.* I. *de Finib. cap.* 3. *Locos quidem quoſdam, ſi videbitur, transferam, maxime ab iis, quos modo nominavi*, (nominaverat autem Platonem & Ariſtotelem) *cum inciderit, ut id apte fieri poſſit: ut ab Homero Ennius, Afranius à Menandro ſolet.* Sic in libris Officiorum multa tranſtulit ex fontibus Stoicorum, & Panætio potiſſimum. Eſt autem hoc interpretandi genus tum maxime vituperandum, cum aliorum cogitata pro noſtris venditamus, tanquam primi ſcriberemus, quæ pridem fuerunt ab aliis conſcrita. Recte hoc fuit à *Plinio Præf. Hiſt. Nat. ad Veſpaſ.* animadverſum. *Scito enim*, inquit, *conferentem autores me deprehendiſſe à juratiſſimis & proximis veteres transſcriptos ad verbum, neque nominatos, non illâ Virgilianâ virtute ut certarent, non Ciceroniana ſimplicitate, qui in libris de Republica, Platonis ſe comitem profitetur: in conſolatione filiæ, Crantorem, inquit ſequor: item Panætium de officiis. Quæ volumina ejus ediſcenda, non modo in manibus quotidie habenda, noſti. Obnoxii profecto animi & infelicis ingenii eſt, deprehendi in furto malle, quam mutuum reddere, cum præſertim fors fiat ex uſura.* Sed ne longius abeamus, redeundum eſt ad Virgilium, qui quo pacto

pacto in aliorum ſententiis transferendis ſe geſſerit, ex Agellio porro diſcamus. Quod ut melius fiat, non gravabor pluſcula transſcribere, quæ jam citatis ſtatim ſubnectit. *Sicuti nuperrime apud menſam cum legerentur utraque ſimul Bucolica Theocriti & Virgilii, animadvertimus reliliquiſſe Virgilium, quod Græce quidem mire quam ſuave eſt, verti autem neque debuit neque potuit. Sed enim quod ſubſtituit, pro eo quod omiſerat, non abeſt quin jucundius lepidiuſque ſit :*

Βάλλει καὶ μάλοισι τὸν αἰπόλον ἁ Κλεαρίστα
Τὰς αἶγας παρελᾶντα, καὶ ἁδύ τι ποππυλιάσδει.

Malo me Galatea petit laſciva puella;
Et fugit ad ſalices & ſe cupit ante videri.

Illud quoque alio loco animadvertimus caute omiſſum, quod eſt in Græco verſu dulciſſimum :

Τίτυρ᾽ ἐμὶν τὸ καλὸν πεφιλαμένε βόσκε τὰς αἶγας
Καὶ ποτὶ τὰν κράναν ἄγε Τίτυρε. Καὶ τὸν ἐνόρχαν
Τὸν Λιβυκὸν κνάκωνα φυλάσσεο μή τυ κορύψῃ.

Quo enim pacto diceret τὸ καλὸν πεφιλαμένε, *verba hercle non tranſlatitia, ſed cujuſdam nativæ dulcedinis. Hoc igitur reliquit, & cætera vertit non infeſtiviter : niſi quod caprum dixit, quem Theocritus* ἐνόρχαν *appellavit, auctore enim M. Varrone is demum Latine caper dicitur, qui excaſtratus eſt.*

TITYRE, DUM REDEO, BREVIS EST VIA, PASCE CAPELLAS;

ET

ET POTUM PASTAS AGE, TITYRE; ET INTER AGENDUM OCCURSARE CAPRO (CORNU FERIT ILLE) CAVETO.

Non possum, Benevole lector, quin hac occasione te ablegem ad *Renatum Rapinum*, qui multa egregie de Theocrito ac Virgilio scripsit. Vide sis ejus *dissertat. de Carmine Pastorali*, *maxime pag.* 189. *Edit. Leidensis in* 12. Nec ingratum fore opinor, si non nihil adtulero ad illustrationem istius versiculi, quem primo loco ex Virgilio citavi: quo modo & Theocritus simul illustrabitur. Haud temere à Theocrito Virgilioque, factum est, quod malo potius, quam alio quovis pomo puellam faciunt petentem amatorem suum. Quippe mala Veneri sacra sunt, & amoris ac amicitiæ signum. Hinc ferunt ea in somniis portendere rei Venereæ fruitionem. Quare autem illa sint Veneri consecrata, non difficile est consectare iis, qui judicii meminerunt, quo Venus Junonem Pallademque vicit, ac malum aureum obtinuit, prætium pulcritudinis. Itaque non alio ornatu crebrius in numismatis visitur, quam malo, quam fere tenet manu dextrâ. Pausanias quoque adducit Veneris simulacrum, Canachi opus, quæ alterâ manu papaverum capita, alterâ malum gestabat. Hinc sunt illæ amantium nugæ, quando se mutuo malis petunt & ad amorem lacessunt. Scitum est, quod fertur de Acontio,

tio, qui Cydippes amore captus malum in ejus ſinum injecit his literis inſctiptum:

Juro tibi ſanctæ per myſtica ſacra Dianæ,
Me tibi venturam comitem, ſponſamque futuram.

Qua de re lege duas Ovidii Epiſtolas, Acontii & Cydippes nomine ſcriptas. Quia etiam mala inter ea fuiſſe quæ amantes invicem mittebant, patet ex hiſce ipſius *Virgilii* verbis *Ecl.* III.

Quod potui puero ſylveſtri ex arbore lecta
Aurea mala decem miſi: cras altera mittam.

nec non *Petronii Afranii* verſibus:

Aurea mala mihi, dulcis mea Martia, mittis,
Mittis & hirſuta munera caſtaneæ.
Omnia grata mihi, ſed ſi magis ipſa venires,
Ornares donum, pulcra puella, tuum.
Tu licet apportes ſtringentia mala palatum,
Triſtia mandenti eſt melleus ore ſapor.
At ſi diſſimulas multum mihi chara venire,
Oſcula cum pomis mitte: vorabo libens.

Adi porro *Petrum Mollium Notis ad Longi Paſtoralia pag.* 20. & *Joſephum Scaligerum Comment. in Catalecta Vet. Poëtarum pag.* 206. Priuſquam hocce caput claudimus, *Terentius* explicandus venit eo quidem loco, quo illum agere putant de interpretatione, de qua hactenus egimus, ſic ſatis prolixe. Is exſtat *Eunuch. prolog.* ubi

ubi de Luſcio Lavinio, adverſario ſuo, ſic loquitur:

Qui bene vertendo, & eas deſcribendo male
Ex Græcis bonis Latinas fecit non bonas.

Hæc verba oppidò difficilia eſſe viſa ſunt, quotquot in Terentium ſcripſerunt. *Petrus Nannius* *Lib.* I. Συμμίκ. *cap.* 3. ita explicat *Carpit heîc Terentius anxiam interpretationem, quæ quaſi calculatrix, verbum verbo reddere curat, nec penſare pondera, ſed numerum quærit; cum Poeta imitari debeat, & potius paria, quam eadem facere, non nunquam leviter alludere, interdum procul reſpicere, ac ſubinde preſſioribus oculis intueri. Quod cum non faceret Lavinius, jure inceſſitur, ut qui in deſcribenda imagine, quam depingendam ſuſceperat, longius aberret. Eſt enim deſcribere idem quod depingere, & archetypi lineamenta reponere.* Non inepte ſane hæc Nannius: multa ſaltem melius, quam Faërnus, qui *bene vertere* explicat *bene eligere vertenda.* Ita enim iſte: *elegit ille quidem bonas, quas verteret, ſed eaſdem male ſcripſit.* Verùm cum nec Nannius, nec alius quiſquam Guyeto, qui in Terentii genium præ cæteris penitus penetravit, heîc ſatisfaceret, ille ſibi ab emendatione præſidium repetivit. Nam ſic legit:

Qui male vertendo, & eâdem ſcribendo male ex
Græcis bonis Latinas fecit non bonas.

Male

Male vertendo, id eſt, ſenſum autoris in verſione non exprimendo. *Et ſcribendo male*, id eſt, dictione barbara & loquutione parum Latinâ in ſcriptione utendo. *Eâdem* ἐλλειπτικῶς pro *eâdem operâ*. Ego nihil eſſe mutandum cenſeo, & omnem difficultatem eſſe ſublatam, modo bene intelligatur, quid per verbum *vertere* Terentius velit. Id hoc loco non ſignificat *transferre*, *interpretari* aut aliquid horum ſimile. Nihil minus. Inter omnes in Latina Lingua vel paulo verſatiores conſtat, verba ſimplica aliquando vim obtinere compoſitorum, ut & compoſita non raro ſimplicium. Itaque *Vertere* apud Terentium idem erit, quod pervertere, id eſt, vertendo corrumpere, & depravare. Hoc ſenſu *Cicero Lib.* I. *Offic.* de Callicratida dicit, eum poſtquam multa egregie feciſſet, *vertiſſe ad extremum omnia*. *Virgilius* quoque, *Nonio Marcello*, teſte, *vertere* uſurpavit pro convertere, contorquere *Æneid. Lib.* VIII. *v.* 436.

Certatim ſquamis ſerpentum, auroque poleibant,
Connexoſque angues, ipſamque in pectore Divæ
Gorgona deſecto vertentem lumina collo.

Sic apud Terentium *bene vertendo*, idem erit, quod valde pervertendo, & contorquendo, quod in interpretatione vitium eſt maximum: ludit enim Poëta in ambigua utriuſque vocis ſignificatione. Neque dubium, quin prologi recitator hoc ſatis oſtenderit, dum eas cum quadam emphaſi

exprimit : ita ut minus obscuritatis in actuosâ illâ oratione fuerit, quam nudâ lectione. Ipse Donatus satis interpretationem nostram approbat. Terentium certe in Belgica sua versione hoc loco bene transtulit Henricus Zwaerdecroon, Erasmianæ quondam Scholæ Rector dignissimus. Atque hæc quidem hactenus.

CAP. XII.

Quatuor in Græcia ludi. Præmia certaminis Pythii. Inter illa pomum. Jupiter Casius. Malum Punicum, seu malo-granatum. Captoræi. Propheta Moses explicatus. Septerium, festum Apollinis.

QUatuor in Græcia ludos fuisse, admodum celebres vel unus Pindarus satis ostendit, qui plerosque in iis sua tempestate victores egregiis carminibus exornat, quæ quicunque student æmulari, næ illi (ut loquar cum ipso Pindaro.)

——— ——— Κόρακες ὡς
Ἄκραντα γαρύετον
Διὸς πρὸς ὄρνιχα θεῖον.

Veluti corvi irrite crocitant adversus divinam Jovis avem. Notissimum quoque Epigramma est, quod in *Anthologia Græc. Epigr.* legitur omnium primum :

Τέσσαρές

Τέσσαρές εἰσιν ἀγῶνες ἀν' Ἑλλάδα, τέσσαρες ἱροί.
Οἱ δύο μὲν θνητῶν, οἱ δύο δ' ἀθανάτων.
Ζηνὸς, Λητοΐαδο. Παλαίμονος, Ἀρχεμόροιο.
Ἆθλα δὲ τῶν κότινος, μῆλα, σέλινα, πίτυς.

Quatuor ſunt in Gracia ſacri ludi, duo quidem mortalium, duo vero immortalium: Jovis, Apollinis, Palamonis, Archemori. Pramia vero illorum olea, poma, apium, pinus. De illis videre licet, quæ tradidit *Natalis Comes Mythol. Lib.* V. *primis.* 4. *capit. & Alexander ab Alexandro Genial. Dier. Lib.* V. *cap.* 8. *nec non Auſonius Fine Eclogarii,* Nos non nihil dicemus de præmio certaminis Pythii, quod Epigramma dicit fuiſſe poma. Recte illud quidem, ni alia præmia excludas. Nam præter poma plura fuiſſe, oppidò quam verum eſt, quod accidit, ut recte ſcribit *N. Comes, quia & ludrica, & pramia victorum, & tempora, quibus agitabantur Pythia: ſæpius mutata ſunt.* Primùm eſculea corona, cui dein laurea ſucceſſit, poſt Daphnen in laurum mutatam. Hoc clare patet ex *Ovidio Metham. Lib.* I. *v.* 445.

Hic juvenum quicunque manu, pedibuſve, catâve
Vicerat, eſculea capiebat frondis honorem.
Nondum laurus erat.

Etiam victores palmâ olim coronabantur: aut pecuniarum præmium accipiebant. Nec deſunt, qui eos tripodibus æneis donatos eſſe aſſerunt,

 quod

quod donum Apollini valde convenit, qui (ut verbis *Aristophanis* utar *init. Pluti*)

——— Θεσπιῳδεῖ τρίποδος ἐκ χρυσηλάτου.

Ex tripode suo aureo ambigua solet responsa dare quærentibus. Poma autem, quæ dabantur, cujus generis fuerint, hactenus non est omnino clarum: nam ut pomum aut Latinos, ita μῆλον apud Græcos significat παντὸς δένδρου καρπὸν *cujusvis arboris fructum.* Certe pomi nomen sese extendit ad omnium arborum fructus, tam qui duri sunt, quam qui molles. Sunt autem poma dicta à potu, teste *Varrone de Re Rust. Lib.* I. *cap.* 31. *In poma*, inquit, *quæ insita erunt, siccitatibus aquam addi quotidie: à quo, quod indigent potu, poma dicta esse possunt.* De illis, quæ præmium fuerunt certaminis Pythii, non una est doctorum Virorum sententia. Proxime à vero abesse videtur *Edmundus Dickinsonus*, eo libello, quem inscripsit *Delphos Phœnicizantes cap.* 7. Ibi statuit fuisse malo-granata, vel mala Punica. Ratio, cur ita sentiat, si non vera est, saltem admodum est vero similis. Ante omnia sic est habendum, quicquid sacræ literæ de Josua & ejus victoriis testantur, id omne fuisse ab Ethnicis ad Apollinem translatum; ut multis recte probat, quem jam citavimus, *Dickinsonus*, imprimis *cap.* 3. Sicut hic Typhonem seu Pythonem ita ille Ogum vicit perdomuitque, ac tandem devenit ad montem *Casium*, qui Syriam ab Ægypto dividit, situm trans Pelusium, extremum Nili

ostium;

ostium; in ea Arabiæ petrææ parte quæ hinc *Casiotis* Ptolomæo dicitur. Est autem *Casii* nomen haud dubiò derivatum à vocabulo קץ Syris usitato, quod *terminum* significat. In eo monte celebre erat *Jovis Casii*, id est, *terminalis* templum. Non disquirimus quo nomine apud Philistæos ille Jupiter vocetur: hoc tantum addimus non absurdum esse, quod *Dickinsonus* putat, nempe vel *Dagonem* ab iis, vel *Marnam* appellari. De hoc dubitari non potest, eum ita pingi solitum, ut extensâ manu ferre videretur malum punicum; idque non sine mysterio. Audi in hanc rem *Achillem Tatium Lib.* III. *pag.* 167. *Edit. Salmasianæ*: Ἔστι δὲ ἐν τῷ Πηλουσίῳ Διὸς ἱερὸν ἄγαλμα Κασίου. Τὸ δὲ ἄγαλμα νεανίσκος Ἀπόλλωνι μάλιστα ἐοικώς. οὕτω γὰρ ἡλικίας εἶχε. Προβέβληται δὲ τὴν χεῖρα, καὶ ἔχει ῥοιὰν ἐπ' αὐτῇ. Τῆς δὲ ῥοιᾶς ὁ λόγος μυστικός. *Pelusii statua est Jovis Casii, juvenili ætate, atque adeò ut Apollini quam simillima sit, dextrâ manu, quâ punicum malum sustinebat, extensâ. Cujus quidem pomi ratio mystica est.* Nihil verò aliud mysterii subesse potuit, quam quod Deus ille Syriæ; ac potissimùm quidem Palæstinæ, cujus maximam partem Caphtoræi occupaverant, terminos custodiebat. De his ita legere est apud *Mosen Deut.* II. 23. עד־עזה והעוים הישבים בחצרים מכפתר היצאים כפתרים תחתם וישבו השמידם *Havæos quoque habitantes in Hasarimusque Gaza, Caphtorim egressi & Caphtor exciderunt eos, & habitarunt ipsi loco illorum.* Nescio autem cur Vetus Versio *Caphtorim* vertat *Cappadoces*; non enim

enim sunt incolæ Asiæ minoris, sed gens Palæstinæ; ut non hic tantum patet, verùm etiam apud *Amosum cap.* IX. *v.* 7. Quamquam cum ex Palestina oriundi non essent, à veteri sede Cappadocia Cappadoces dici potuerunt, de quibus vide *Plinium Lib.* VI. *cap.* 3. *Caphtorim* non aliunde sic dicti videntur, quam à כפתור id est, *malo Punico, sive malo-granato*, quod eorum veluti insigne fuit. Hoc igitur extensâ manu præ se ferebat *Jupiter* ille Casius, ut significaret se strare à Caphtoræis. Atque hac quidem occasione, non possum quin addam, quod de illis, qui Jovi casio initiantur, apud *Sextum Empiricum Lib.* III. *cap.* 24. legimus. Verba Latina ponam; Græce enim eum autorem non habeo: *Jam vero & ex Ægyptiis, qui sapientes habiti fuerunt, alii caput animalis edere profanum esse arbitrantur, alii scapulam, alii pedem, alii nescio quid aliud. Cepas vero nullus unquam edit eorum, qui sacris Casii Jovis apud Pelusium initiantur.* Hunc Jovem Casium Josua tunc vincere visus est, cum protensis ad Casium usque montem victoriis, Palæstinos undique debellasset. Sic mala Punica, præmium victoriæ, retulit: & hinc Græci (qui omnia, quod ad fieri potuit, ad Josuæ historiam adaptabant) Pythiorum præmia desumpserunt. Jam non nihil addemus ad explicationem ejus loci, quem ex Deutronomio citavimus. Cum Deus populum Israëliticum per eversionem multarum gentium in promissam terram

ram ducere ſtatuiſſet, tres tamen nationes excepit, Edomitas, Moabitas, Ammonitas, ex Eſavo & Lotho oriundos. Hoc duplici quidem de cauſa Deus Iſraëlitis per Moſen indicat: tum his populis ut ne nocerent, tum ut horum exemplo Iſraëlitæ certò crederent eadem pro ſe Deum præſtiturum, quæ illorum gratia præſtiterat, nempe hoſtes profligaturum, quantumvis potentes ac viribus færoces. Hinc ad Caphtoræos deflectit, de quibus idem dici non poteſt, quod de prioribus, Deum voluiſſe, ut ſuis ſedibus manerent. Sed eâ tantum de causâ horum facta eſt mentio, ut ſcirent Iſraëlitæ, non difficilius ſibi fore hoſtes ſubigere, quam quondam Caphtoræi ſubegerant Havæos. Licet pauci ad debiles eſſent, uſu tamen ſibi venturum, quod illis, qui multo ſemet potentiores devicerant. Certe de Philiſtæis & Caphtoræis vetus eſt dictum, quod citat *Cl. Buxtorfius Lex. Rabb. Pag.* 1083. נבורים כפתורים בנסים פלשתים: *Philiſtai ſunt Gigantes: Caphtorai ſeu Cappadoces ſunt pumiliones.* Ne caput hîc claudam *Plutarchus* facit, de quo ſic quondam judicare ſolebat Ger. Joan. Voſſius, Vir clariſſimus, bibliothecam habere, quicunque hunc autorem poſſideret. Is, præter Pythia certamina in honorem Appollinis ob devictum Pythonem celebrari ſolita, alius cujuſdam ſolemnitatis meminit, quæ Delphis agebatur nono quoque anno eâdem plane de cauſa. Hæc *Septerium* dicebatur, à maximo (ni fallor) cultu &

veneratione. Audi *Plut. Quæst. Græc. pag.* 293. Τὸ μὲν οὖν Σεπτήριον ἔοικε μίμημα τῆς πρὸς τὸν Πύθωνα τοῦ θεοῦ μάχης εἶναι, καὶ τῆς μετὰ τὴν μάχην ἐπὶ τὰ Τέμπη φυγῆς καὶ ἐκδιώξεως. Οἱ μὲν γὰρ φυγεῖν ἐπὶ τῷ φόνῳ φασὶ χρῄζοντα καθαρσίων, οἱ δὲ τῷ Πύθωνι τετρωμένῳ καὶ φεύγοντι κατὰ τὴν ὁδόν, ἣν νῦν ἱερὰν καλοῦμεν, ἐπακολουθεῖν, καὶ μικρὸν ἀπολειφθῆναι τῆς τελευτῆς. Κατέλαβε γὰρ αὐτὸν ἐκ τοῦ τραύματος ἄρτι τεθνηκότα, κεκηδευμένον ὑπὸ τοῦ παιδός, ᾧ ὄνομα ἦν Αἴξ, ὡς λέγουσι. Τὸ μὲν οὖν Σεπτήριον τούτων, ἢ τοιούτων τινῶν ἀπομίμησίς ἐστι πέραν. *Septerium imitationem habet pugnæ Apollinis cum Pythone, & à pugna fugæ Dei ad Tempe, aut persequutionis: alii enim fugisse eum ferunt, quod peractâ cæde opus expiatione haberet: alii Pythonem saucium & fugientem viâ, quæ nunc sacra dicitur, cum insequeretur, supervenisse ei recens è vulnere mortuo, & funerato à filio, cui nomen Alex, ut perhibent: Septerium ergo harum aut similium rerum est imitatio.*

CAP.

CAP. XIII.

In conviviis suæ partes cuique attributæ. Euangelista Lucas illustratus. Epictetus in Enchiridio explicatus, nec non Apuleius. Sua cuique convivantium mensa assignari solita. Convivarum numerus. Seneca accusatus de luxu. Juvenali lux. Galli cujusdam de Seneca judicium, & non nihil de Plutarcho.

CUm alii libri de variis rebus utiles exſtant, tum ille *Guillielmi Stuckii* longe utiliſſimus, quo agitur de *Antiquitatibus convivalibus*. Poſſent tamen poſt uberem illam, quam meſſuit meſſem, quædam ſpicilegia colligi: quod alio tempore à nobis fiet accuratius. In præſens hoc tantum notabimus, quod ne à *Stuckio* quidem omninò eſt prætermiſſum, apud antiquiores id moris fuiſſe, ut ſingulis convivis cuæ partes diſtribuerentur in propriis ſcutellis. De Hebræis videri poſſunt *Auguſtus Pfeifferus Antiq. Sacrarum Bec.* 11. *Poſit.* 7. & *Andraas Rivetus in cap.* XLIII. *Geneſ. pag.* 626. Partes autem illas Græci μερίδας, μοίρας & μερισμοὺς vocabant. Atque huc, rectiſſime meo judicio, Salvatorem alluſiſſe ſtatuit idem *Rivetus*, his verbis *Luc.* X, 41. 42. utentem ad Martham: Μάρθα,

Μάρθα μεριμνᾷς καὶ τυρβάζῃ περὶ πολλά. Ἑνὸς δέ ἐστι χρεία. Μαρία δὲ τὴν ἀγαθὴν μερίδα ἐξελέξατο, ἥτις οὐκ ἀφαιρεθήσεται ἀπ' αὐτῆς. *Martha Martha sollicita es, & satagis de multis. Unum autem est necessarium. Maria vero bonam* (id est, Hebraico loquendi modo, optimam) *partem elegit, quæ nunquam auferetur ab ea.* Martha quippe valde erat occupata in eduliis parandis, quorum præcipuam & optimam partem Christo destinabat. Huic eleganter opponit illam partem, quam ipse docendo Mariæ largiebatur, partem vere cælestem, & quæ non corpus, sed animam nutriebat. Pandit ille sacra Euangelii mysteria, dum Maria attente divinis verbis inhiat, &, ut mos est Judæis, ad magistri pedes sedet, de quo more vide, si libet, præter commentatores Sacræ Scripturæ, quæ sæpe ad illum respicit, *Molinæum in Vate Lib.* IV. *cap.* 10. *& Pfeifferum initio Notarum ad libell. de lusu. item Antiq. Sacrarum Dec.* III. *Posit.* I. Ejusmodi autem portiones, de quibus sumus loquuti, non tantum cuique distribuebantur in esu, verum etiam in potu, ut ostensum est à viris doctissimis. Neque id hodie insolens est quibusdam populis, apud quos suo quisque vitro bibit. Sed audiamus *Plutarchum*, qui *Probl. Sympos. Quæst. ult.* sic quærit: Πότερον οἱ παλαιοὶ βέλτιον ἐποίουν πρὸς μερίδας, ἢ οἱ νῦν ἐκ κοινοῦ δειπνοῦντες; *Veteresne rectius fecerint, qui in conviviis, suam cuique portionem tribuerunt, an qui nunc in commune prabent?* Multas ibi utrimque rationes proponit, quas

quas legere est operæ prætium. Videtur autem hoc moris fuisse, ut sive Rex convivii, sive alius quisquam ejus nomine, partes divideret, ac cuique circumferret, pro cujusque, credo, dignitate, vel prius vel posterius. Nec abhorret à vero etiam in privatis conviviis quosdam οἰνόπτας fuisse, quos in publicis epulis adhibitos ex *Athenæo* discimus *Lib. cap. 6.* Hinc facile est explicare *Epictetum Enchir. Cap* XXI. ubi hæc verba legimus: Μέμνησο, ὅτι ὡς ἐν συμποσίῳ, (οὕτω) δεῖ σε ἀναστρέφεσθαι (ἐν τῷ βίῳ.) Περιφερόμενον γέγονέ τι κατὰ σέ; ἐκτείνας τὴν χεῖρα, κοσμίως μετάλαβε. Παρέρχεται; μὴ κάτεχε. οὔπω ἥκει; μὴ ἐπίβαλε πόῤῥω τὴν ὄρεξιν, ἀλλὰ περίμενε, μέχρις ἂν γένηται κατὰ σέ. *Memento sic in vita esse versandum, tanquam in convivio. Si quid circumferendo ad te pervenerit, porrectâ manu partem modestè capito. Præterit? Ne detine. Nondum adest? Ne longe appetitum extendito: sed exspecta dum ad te perlatum fuerit.* Non rejicienda tamen est *Petri Castellani* sententia, qui *Ludo inter elegantes Satyras pag.* 421. Epictetum respicere putat veterem ritum, quo olim solebant olera & salsamenta in antecæniis circumferre; quod nitidius, quam vexatas manibus escas porrigere. Græcis dicuntur αἱ ἐπιδόσιμοι προσπαρατίθεσθαι περιφοραί. *quæ solent circumferendo ante cætera apponi.* Nullum mihi est dubium, non aliunde explicandum esse *Apulejum Metamorph. Lib.* II. ubi mulier eum, qui in domo funestâ calidam poscebat cum œnophoris & calice, cænarumque reliquiis ornatum discum, hunc in modum

dum alloquitur : *Abi, fatue, qui in domo funestrâ cœnas & partes requiris, in qua tot jugis jam diebus ne fumus quidem visus est ullus.* Non respuo tamen, quod *Pricaus ad l. c.* notat: *Cœnas & partes*, ἐν διαδυοῖν, *id est, ut paulo supra, reliquias.* Neque tantum suæ cuique partes distribuebantur; verùm etiam (ut verbis utar *Petronii*) *sua convivantium cuique mensa assignabatur.* Hoc Hebræis insolens non fuisse, fidem nobis faciunt doctores Talmudici, quos citat *Joan. Buxtorfius*, τοῦ πατρὸς τὸ παιδίον, *Dissert. de Cœna Domini* §. 37. Idem olim apud Germanos obtinuisse, *Tacitus* autor est *Lib. de Morib. Germ. Lauti*, inquit, *cibum capiunt: separatæ singulis sedes, & sua cuique mensa. Tum ad negotia, nec minus sæpe ad convivia procedunt armati.* De Græcis testem habemus Homerum, de quo sic *Athenæus lib.* I. *cap.* II.

Ἑκάστῳ τῶν δαιτυμόνων παρ' Ὁμήρῳ παρατίθεται κάνεον καὶ τράπεζα, καὶ δέπας
——— ——— ——— Πινεῖν ὅτε θυμὸς ἀνώγοι.

Singulis convivis apud Homerum apponitur
canistrum, mensa, poculum, ut bibant
Si quando incessat, vini potusque cupido.

Idem, ut *Cap. præc. refert Athenæus*, quidam perperam probare conati sunt ex eo, quod *Odyss. lib.* I. legitur; Mentæ, cum mensis jam collocatis ad Telemachum venisset, appositam fuisse

rasam

rasam ac politurâ lævigatam. Vide porrò *Gatakerum in Cinno lib.* II. *cap.* 5. *pag.* 231. De Romanis satis patet ex verbis, quæ ex Petronio adduximus: quibus etiam hoc moris fuit, ut nunquam mensa tolleretur, super quâ non esset aliquid relictum, uti observat *Plutarchus Quæst. Rom.* ubi quatuor ejus moris causas recenset, cui quintam *Buxhornius* addit *Notis ad Plut.* hanc nempe; *id boni ominis causâ usitatum & probandæ abundantiæ. Aliquid enim deesse videtur, ubi ita omnia absumuntur, ut nihil omnino relinquatur.* Istud autem de mensis cuique convivantium apponi solitis, tunc ferri potuit, cum justum numerum convivæ non excederent, de quo numero, consulendi *Cœlius Rhodiginus Ant. Lect. lib.* XVIII. *c.* 8. *Alexander ab Alexandro lib.*V. *c.*21. *& ad Alexandrum Tiraquellus*, qui tamen in eo errat, quod ex *Athenæo lib.* I. *caput primum* citat, cum *quartum* citare debuisset. Notum certe est adagium: *Septem convivium, novem convicium.* A quo non nihil discedit *Ausonius in Ephemeride* his verbis:

Quinque advocavi: sex enim convivium
Cum rege justum: si super, convicium est.

Quantæ vero molis & molestiarum esset, si plures advocarentur, nemo non videt: præsertim si mensæ mutabantur, quod luxuriosa posteritas excogitavit, in singulos ferculorum missus. Non dubito tamen, quin utrumque factum sit à Seneca,

ca, si verum est, quod de eo narrat *Dio*, seu potius ejus epitomator *Xiphilinus Vitâ Neronis pag.* 152. *Edit. Græ. Rob. Steph.* Ἐνεκλήθη δὲ καὶ ὁ Σενέκας ἄλλ' ἄττα, καὶ ὅτι τῇ Ἀγριππίνῃ συνεγίγνετο. οὐ μόνον δὲ ἐκ τούτου, ἀλλὰ καὶ ἐν ἄλλοις πάντα τὰ ἐναντιώτατα οἷς ἐφιλοσόφει ποιῶν ἠλέγχθη. Καὶ γὰρ τυραννίδος κατηγορῶν, τυραννοδιδάσκαλος ἐγίνετο, καὶ τῶν συνόντων τοῖς δυνάσταις κατατρέχων, οὐκ ἀφίστατο τοῦ παλατίου, τούς τε κολακεύοντάς τινα διαβάλλων αὐτὸς καὶ τὰς βασιλίδας καὶ τοὺς ἐξελευθέρους ἐθώπευε. καὶ τινῶν καὶ ἐγκώμια συνετίθει, τοῖς πλουτοῦσιν ἐγκαλῶν, οὐσίαν ἑπτακισχιλίων καὶ πεντακοσίων μυριάδων ἐκτήσατο, καὶ τὰς πολυτελείας τῶν ἄλλων αἰτιώμενος πεντακοσίους τρίποδας κιδρίνου ξύλου ἐλεφαντόποδας ἴσους καὶ ὁμοίους εἶχε, καὶ ἐπ' αὐτῶν εἱστιᾶτο. *Seneca autem cum aliorum quorundam, tum hujus accusatus est, quod adulterium cum Agrippina commisisset. Neque tantum in hac re, sed in aliis insuper dictus est plane fecisse omnia contraria iis, quæ docebat. Tyrannidem enim cum vituperaret, ipse tyranni fuit præceptor: cum eos reprehenderet, qui potentiores sectabantur, ipse palatio se non abstinuit: cum aliis, ut crimen magnum objiceret, cuiquam assentari, ipse & reginas & libertos palpavit, quorum etiam aliquot encomiis evexit: divites cum maledictis incesseret, ipse ter millies sestertium paravit, habuitque quingentas mensas è cedro, cum eburneis pedibus, similes omnes & æquales, super quibus convivia celebrabat, cum tamen in aliis numerosam, pretiosamque suppellectilem non ferret.* Scio quidem, quam operose hæc crimina diluit acerrimus Senecæ vindex, *Justus Lipsius,* quem

quem vide *de Vitâ & Scriptis Senecæ cap.* VI. *item Manud. ad Phil. Stoic. lib.* I. *Diff.* XVIII. sed tamen omni culpâ caruisse censeri non potest. Similis cujusdam circa mensas luxus Ciceronis & Gallii Asinii meminit *Plinius lib.* XIII. *c.* 15. Quare non injuriâ noster dixit *lib.* VII. *de Benef. cap.* 9. *Video istic mensas & æstimatum lignum senatoris sensu, eo pratiosius, quod illud in plures nodos, arboris infelicitas torsit.* Videtur autem citreis ac prætiosis mensis hoc fuisse proprium, ut pedes haberent eburneos, animalis cujusdam effigie efformatos. Hinc lucem fœneratur *Juvenalis Satyrâ* XI. *v.* 122.

Nil rhombus, nil dama sapit, putere videntur
Unguenta, atque rosa, latos ni sustinet orbes
Grande ebur, & magno sublimis pardus hiatu
Dentibus ex illis, quos mittit porta Syenes.

Plura si desideras scire de materiâ, formâ ac ornatu mensarum, adi Doct. *Dempsterum Paralip. ad Rosinum lib.* V. *cap.* 26. Nos interim ad Senecam redeamus. Ut ut ejus vita fuerit, certe scripta, quæ dedit, sunt omnium consensu utilissima. Adeoque non possum quin mirer Galli cujusdam judicium, quod ex Gallico in Latinum conversum hîc adscribam. Est istud quidem in Senecam iniquius; verùm tamen non absque judicio scriptum. Invenitur autem in libello, cui titulus:

Re-

Recuil de diverses pieces faites par plusieurs personnes Illustres. En versionem meam, quâ parum de verbis sollicitus, ipsam sententiam expressi. *Senecam quà Neronis praceptorem, Amatorem Agrippina, Imperii cupidum, facio maximi; quà verò Philosophum & scriptorem plane contemno. Nec stilus ejus mihi placet, nec qua stilo consignavit. Dictio nihil facile, nihil naturale, nihil denique habet avi Augustei. Pungit ubique, ac ea profert, qua magis Africa Hispaniave calorem, quam Gracia aut Italia lumen literarium sapiunt. Vides ibi res plane concisas, qua quidem gnomarum sententiarumque habent speciem; sed neque egregium sensum, neque soliditatem, qua in illis requiritur. Aculeum menti infigunt, eamque exagitant; judicium verò in assensum non cogunt. Certe dum quasi vi sibimet illatâ sermocinatur, terrorem mihi incutit, & tantum abest, ut animus dictis adquiescat, ut magis commotus magisque tetricus à lectione recedam. Nero, qui etsi inter pessimos principes numerari debet, admodum tamen erat ingeniosus, delicatulos quosdam circa se magistellos habuit, qui Senecam non aliter habebant, quam putidum doctrina ostentatorem, & quantum poterant risui propinabant. Bervillii tamen opinionem, non sequor, qui ita putabat, Senecam esse, quem sub fictâ Eumolpi personâ Petronius inducit. Nam si eum injuriose depingere voluisset, non absurdi poëta personâ, sed insulsi potius affectatoris eruditionis,*

ditionis, ac arrogantis aliorum contemptoris, induisset. Quin nihil inveniri potest, in quo Seneca & Eumolpus conveniant. Seneca omnium ferme aulicorum erat ditissimus, cum interim paupertatem maximis laudibus efferret. Eumolpus, Poësi deditus ipso erat Iro pauperior: seculi ingratitudinem semper accusabat, hoc solo fruens solatio, BONÆ MENTIS SOROREM ESSE PAUPERTATEM. Seneca vitia sua maxima cum sollicitudine celabat: Eumolpus verò voluptati libere indulgens, quandam ex vitiis gloriolam captabat. Nil itaque video, quo possit Bervillius conjecturam suam stabilire. Sed istud omne, ni fallor, quod Petronius ait de suæ ætatis stilo, de corruptione eloquentiæ ac Poeseos, illæ CONTROVERSIÆ SENTENTIOLIS VIBRANTIBUS PICTÆ, quibus tantopere indignabatur, ille VANUS SENTENTIARUM STREPITUS, quo veluti obstupescebat, Senecam *tangunt: illud verò PER AMBAGES ET DEORUM MINISTERIA &c in Lucanum dicitur. Laudes, quas Ciceroni & Virgilio tribuit, in nepotis patruique contemptum tendunt. Sed quicquid sit horum, illud certum est, (ut dicam, quid de Philosopho nostro sentiam) me nunquam ejus scripta legere, quin protinus quam longissime recedam ab eâ sententiâ, quam lectori approbare satagit. Dum persuadere conatur paupertatem, divitia-*

rum ipsius amore ardeo. Absterret me virtus, quam laudat: cum ita plerumque de vitiis loquatur, & tam graphice ea depingat, ut in ea ruant vel innocentissimi. Sæpissime de morte loquitur, & iis verbis, quæ animo meo tristissimas species non injicere non possunt: ideoque in hoc potissimum incumbo, ut nihil omnino, aut saltem quam minimum ex ejus lectione proficiam. Quod me maxime in ejus scriptis afficit exempla sunt & citationes, quibus illa veluti condit. In aulâ delitiis deditâ cum viveret, & gnarus esset rerum historiarumque cujuscunque temporis, multas sæpe allegat, de Cæsare, Augusto, Mæcenate, aliisque. Ingenio minime destitutus plurimarum rerum cognitionem isti adjunxerat: sed stilum habet profecto nimis durum, & opiniones fovet non minus duras, quare neutrum placere mihi potest. Ridiculum est & quovis cachinno dignum, eum divitiarum ac mortis contemptum ubique inculcare, qui vitam sollicite tuebatur, atque in superflua omnium copiâ traducebat. Montanus (intelligit illum celebrem Galliæ scriptorem *Michiel de Montagne*, quem vide *dans ses essais Liv.* II. *Chap.* 10.) *multum inter se convenire statuit Senecam & Plutarchum, ambos in Philosophiâ excellentes, maximos sapientiæ ac virtutis laudatores ambos, & Romanorum Cæsarum præceptores; hoc tamen discrimine, quod ille dignitate & divitiis magis fuerit conspicuus; hic vero in educatione discipuli sui magis felix. Quas Plutarchus*

tue-

tuetur opiniones, eæ, Montano judice, ut magis dulces, ita humanæ societati magis sunt accommodatæ: Senecæ verò, ut ipse sentit, masculæ magis ac solidæ; sed, ut ego opinor, duræ magis & austeræ. Plutarchus sapientiam molliter insinuat, & virtutem, quam laudat, in ipsis voluptatibus reddit familiarem. Seneca omnes voluptates ad sapientiam deducit, atque præter Philosophos felicem esse putat neminem. Plutarchus naturam ducem sequutus, ac primus ipse persuasus, aliis, quæ cupit, facile persuadet. Senecæ animus vi quadam virtutem affectat, & ad eam se exstimulat; ac, quasi sibi aliena esset, se ipsum vincere necesse habet, ut eam exerceat. De hoc judicio tute judica, erudite Lector: ipse enim sententiam meam non interpono. Istud interim negare mihi non poteris, Senecam non raro quædam vitia verbis descripsisse nimium profecto obscænis, quod ne exemplis ostendam, ipse pudor me prohibet. Tamen non possum, quin masculam ejus philosophiam exosculer, & laudibus ad cœlum feram. Præter divina Prophetarum ac Apostolorum scripta, nihil est quod ad efformandos hominum mores Senecæ & Epicteto præferam. Sin minus amamus, id non horum merito; sed effœminatis nostris moribus est adscribendum. Ad

Edita doctrinâ sapientum templa serenâ

nostra mollicies non adscendit. Nolim tamen hæc,

rum ipsius amore ardeo. Absterret me virtus, quam laudat: cum ita plerumque de vitiis loquatur, & tam graphice ea depingat, ut in ea ruant vel innocentissimi. Sæpissime de morte loquitur, & iis verbis, quæ animo meo tristissimas species non injicere non possunt: ideoque in hoc potissimum incumbo, ut nihil omnino, aut saltem quam minimum ex ejus lectione proficiam. Quod me maxime in ejus scriptis afficit exempla sunt & citationes, quibus illa veluti condit. In aulâ delitiis deditâ cum viveret, & gnarus esset rerum historiarumque cujuscunque temporis, multas sæpe allegat, de Cæsare, Augusto, Mæcenate, aliisque. Ingenio minime destitutus plurimarum rerum cognitionem isti adjunxerat: sed stilum habet profecto nimis durum, & opiniones fovet non minus duras, quare neutrum placere mihi potest. Ridiculum est & quovis cachinno dignum, eum divitiarum ac mortis contemptum ubique inculcare, qui vitam sollicite tuebatur, atque in superflua omnium copiâ traducebat. Montanus (intelligit illum celebrem Galliæ scriptorem *Michiel de Montagne*, quem vide *dans ses essais Liv.* II. *Chap.* 10.) *multum inter se convenire statuit Senecam & Plutarchum, ambos in Philosophiâ excellentes, maximos sapientiæ ac virtutis laudatores ambos, & Romanorum Cæsarum præceptores; hoc tamen discrimine, quod ille dignitate & divitiis magis fuerit conspicuus; hic vero in educatione discipuli sui magis felix. Quas Plutarchus*

tue-

tuetur opiniones, eæ, Montano judice, ut magis dulces, ita humanæ societati magis sunt accommodatæ: Senecæ verò, ut ipse sentit, masculæ magis ac solidæ; sed, ut ego opinor, duræ magis & austeræ. Plutarchus sapientiam molliter insinuat, & virtutem, quam laudat, in ipsis voluptatibus reddit familiarem. Seneca omnes voluptates ad sapientiam deducit, atque præter Philosophos felicem esse putat neminem. Plutarchus naturam ducem sequutus, ac primus ipse persuasus, aliis, quæ cupit, facile persuadet. Senecæ animus vi quadam virtutem affectat, & ad eam se exstimulat; ac, quasi sibi aliena esset, se ipsum vincere necesse habet, ut eam exerceat. De hoc judicio tute judica, erudite Lector: ipse enim sententiam meam non interpono. Istud interim negare mihi non poteris, Senecam non rarò quædam vitia verbis descripsisse nimium profectò obscænis, quod ne exemplis ostendam, ipse pudor me prohibet. Tamen non possum, quin masculam ejus philosophiam exosculer, & laudibus ad cœlum feram. Præter divina Prophetarum ac Apostolorum scripta, nihil est quod ad efformandos hominum mores Senecæ & Epicteto præferam. Sin minus amamus, id non horum merito; sed effœminatis nostris moribus est adscribendum. Ad

Edita doctrinâ sapientum templa serenâ

nostra mollicies non adscendit. Nolim tamen hæc,

quasi in Plutarchi contemptum dicta, quispiam interpretetur: nam nihil est isto scriptore, hoc præsertim tempore, utilius. Non secus ac pisces escâ quâdam sumus ad virtutem alliciendi, ut tandem discamus sapere & surgere ad altiora. Istac arte nemo Plutarcho præstat. Sic

—— —— Pueris olim dant crustula blandi
Doctores, elementa velint ut discere prima.

CAP. XIV.

Servus in dominum torqueri non poterat, nisi certis de causis. Cicero explicatus. Apud Romanos, salvâ libertate, soli servi torquebantur. Juvenalis illustratus. Athenis servis dabatur actio injuriarum, Romæ non item. Casaubonus notatus. Jura servorum apud Athenienses, quam Romanos longe solutiora. Servitus unde primum nata. Σώματα *id est, corpora pro servis.* Τὸ ἡγεμονικόν. *Jus Patronorum in libertos ingratos. De Samuele Petito judicia fere contraria. Servorum peculium. De sepultura servorum.*

INter omnes *Ciceronis* orationes doctorum judicio valde eminet, quam scripsit pro *Tito Annio*

nio Milone. Eam cum nuper relegerem, ad hæc verba paulisper hæsi: *Cur igitur* (servos Milo) *manumisit? metuebat scilicet, ne indicaretur, ne dolorem perferre non possent; ne tormentis cogerentur, occisum esse à servis Milonis in Appia via P. Clodium confiteri.* Sic enim Milonis adversarii dictitabant, Milonem manumisisse servos, ne tormentis victi indicavent insidias à Milone structas esse Clodio. Sed qui hoc metuere potuit, cum, ut Cicero paulo post ait, *de servis nulla quæstio sit in dominum, nisi de incestu, ut fuit in Clodium? Majores nostri*, inquit, *in dominum de servo quæri noluerunt, non quia non posset verum inveniri, sed quia videbatur indignum esse, & domini morte ipsâ tristius.* Hinc in servum dominum Deiotarum accusantem his verbis invehitur *Init. Orat. pro Deiotaro: Cum more majorum de servo in dominum ne tormentis quidem quæri liceat, in qua quæstione dolor veram vocem elicere possit, etiam ab invito: exortus est servus, qui, quem in equuleo appellare non poßet, eum accuset solutus.* Fuit certè aliquando in usu, ut de servis in dominos nec quæstio haberi, nec judicium dari posset. Vide *Alexandrum ab Alexandro Genial. Dier. lib.* III. *cap.* 20. & *ibi Tiraquellum.* Imo etsi servus ad hoc erit manumissus, ne torqueatur, posse eum torqueri Divus Pius rescripsit, dummodo in caput domini non torqueatur. *L.* I. *§.* 13. *D. de Quæstionibus.* Nec mirum est in dominos de servis quæstionem

 haberi

haberi non potuisse: cum (ut verbis utar *Attaliatæ in Synopsi Edit. Lenuclav. Pag. 15.*) οὐδὲ δοῦλοι κατὰ δεσποτῶν μαρτυρῶσιν. οὐκ ἔστιν ἀξιόπιστος μάρτυς, ὁ κελεύεσθαι δυνάμενος. οἷον δοῦλος ἢ μίσθιος. *servi contra dominos testes non sint. Non est testis fide dignus, cui potest imperari, veluti servus aut mercenarius.* Quare igitur adversarii Miloni objiciebant, eum manumisisse servos? testes enim in dominum esse non poterant, nec in eum de illis quæstio haberi, etiamsi manumissi non essent. Ut certis de causis servi dominos deferre poterant, ita quoque duplici potissimum de causâ in dominos torqueri, ubi de incestu vel conjuratione agebatur. Patet hoc ex ipso *Cicerone de partit. Orat. non procul à fine*, his verbis: *Dicendum de institutis Atheniensium, Rhodiorumque, doctissimorum hominum, apud quos etiam (quod acerbissimum est) liberi, civesque torquentur. De nostrorum etiam prudentissimorum hominum institutis, qui cum de servis in dominos quæri noluissent, de incestu tamen & conjuratione, quæ facta me consule est, quærendum putaverunt.* Nec tantum de illa conjuratione; sed, ut opinor, de iis omnibus, quæ in rempublicam factæ esse videbantur: ut & aliis de rebus omnibus, quibus salus publica læsa esse videri poterat: ideoque quæstionem habere licebat de servis contra dominos in fraudati census accusationibus per *L. I. C. de Quæst. & L. I. §. 20. D. eod. tit.* Milonis autem adversarii jactabant, cædem, qua P. Clodius occisus est, senatum

natum judicasse contra rempublicam esse factam. Itaque *Cicero* non tam negat servos in Milonem dominum suum torqueri potuisse, quam probat, nihil opus fuisse, ut torquerentur. *Quid*, inquit, *opus est tortore? quid quaris? occideritne? occidit, jure an injuria? nihil ad tortorem, facti enim in equileo quaestio est, juris in judicio.* Postea Imperator Tacitus *cavit* (ut loquar cum *Flavio Vopisco Vitâ Tacit. Cap.* 9.) *ut servi in dominorum capita non interrogarentur, ne in causâ majestatis quidem.* A Justiniano autem illa Taciti cautio abolita fuit: sic enim legimus *L.* 7. §. 1. *C. ad leg. Jul. Majest. In hoc item crimine, quod ad lasam Majestatem Imperatoris pertinet, etiam in caput domini servi torquentur.* Sed, dicat aliquis, quid Miloni profuit, manumisisse servos? nonne & liberti, & cæteri promiscue homines torqueri poterant? Nego id licuisse cum salvâ libertate Populus Romanus suis legibus vivebat: postquam verò exorti sunt, qui dicerent,

Hoc volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas,

nulli ferme torturam effugere valuerunt. Quin tandem pro jure obtinuit ut liberi cujuscunque generis homines torqueri possint. Vide *Tholosanum Syntag. Juris univ. Lib.* XLVIII. *Cap.* 12. *Num.* 28. 29. *& Heemskerkium Notis ad Arcadiam Batavicam Belgico idiomate à se conscriptam Edit. Ult. Pag.* 435. Olim autem apud

Romanos præter servos, neminem tortum fuisse, manifestum sit ex toto titulo *D. de Quæstionibus* qui de servis ferme solis loquitur. Neque mirum sic in servos sæviisse, quos inter homines vix haberent. Quis nescit illos quadrupedibus æquiparatos fuisse, ac jure civili pronullis habitos? Hinc Imperator dicit §. 3. *Inst. de Injuriis*, servis nullam fieri injuriam, quod tamen de leviori tantum injuria intelligendum: at si servus infamatus sit, vel facto aliquo, vel crimine scripto, puto causæ cognitionem prætori porrigendam, inquit *Ulpianus L.* V. *§.* 44. *D. de Injuriis.* Quo autem pacto quæstio de servis per tormenta habebatur, satis clare à *Cicerone* est ostensum *Orat. pro Cluent: haud ita longe à fine.* Cum igitur servi Romanis tanto despectui essent, levibus etiam de causis torqueri poterant; liberi verò ne quidem de causis gravioribus. In transitu non nihil lucis fœneremur *Juvenali Satyrâ.* VI. *v.* 222. ubi uxor marito pro servo intercedenti, ac dicenti, nimis diu de morte homini inferenda deliberari non posse ita indignabunda respondet:

O demens, ita servus homo est?

Scilicet putabat servum hominem non esse; forsitan quia vitæ necisque potestatem in eum Dominus habebat; nam apud omnes peræque gentes animadvertere possumus, dominis in servos vitæ necisque potestatem fuisse, ut legimus *L.* I. §. 1. *D. qui sunt sui vel alien. jur. & §.* 1. *Inst. eod. tit.* Quod quam iniquum fuerit, vel ipse Clau-

dius

dius vidit, cætera ſtultiſſimus princeps, de quo *Suetonius Vitâ Claudii, Cap.* 25. ſic loquitur: *Cum quidam ægra & affecta mancipia in inſulam Æſculapii tædio medendi exponerent omnes qui exponerentur, liberos eſſe ſanxit, nec redire in ditionem domini ſi convaluiſſent: quod ſi quis necare quem mallet, quam exponere, cædis crimine teneri.* Poſtea, Divus Antoninus conſtitutionem fecit, ex qua, qui ſine cauſa ſervum ſuum occiderit, non minus puniri jubetur, quam ſi alienum ſervum occiderit. Quin & major aſperitas dominorum ejuſdem Principis conſtitutione coërcetur; præſertim ſi ſervi ad Statuam Principum confugiant. Conſule *L.* I. & II. *D. de his, qui ſunt ſui jur. vel alieni. §.* 2. *Inſt. eodem titulo.* Sed ut ad Ciceronem revertamur, ſic dicimus præter ſervos neminem invitum torqueri potuiſſe: quare homo pauper apud *Quinctilianum Decl.* VII. qui ultro ſe tormentis offerebat, hæc verba uſurpat: *Nemini, judices, credo dubium, legem, quæ torqueri liberum hominem vetat, hoc proſpexiſſe tantum, ne quis torqueretur invitus; & jura, quæ nos à ſervilium corporum conditione ſecernunt, impatientiæ tantum ſuccuriſſe nolentium,* Atque hoc quidem pacto ſatis clarum fecimus illum M. Tullii locum, quem proponebamus hujus capitis initio. Libentes de ſervis alia multa diceremus, niſi omnia occupaſſet *Laurentius Pignorius*, Vir eruditiſſimus, cujus egregium tractatum *de Servis* Andreas noſter Friſius de novo

nuper typis excudit. Non nulla tamen addemus, quæ non omnibus ubique fiunt obvia. Cum Romani ſtatuerent ſervis ne ab aliis quidem fieri injuriam, Athenienſes contrà illis dabant injuriarum actionem in ipſos dominos, cenſente Cl. *Caſaubono Animadv. in Athenæum Lib.* VI. *cap.* 19. Unde Caſaubonus hoc hauſerit, profecto neſcio: ſaltem ex *Athenæo* non ſequitur, apud quem ita legimus: Ἀθηναῖοι δὲ καὶ τῆς τῶν δούλων φρονοῦντες τύχης, ἐνομοθέτησαν καὶ ὑπὲρ δούλων γραφὰς ὕβρεως εἶναι. *Athenienſes vero ſervili etiam fortunæ conſulendum eſſe rati, legem ſciverunt, ut de injuriâ ſervis illatâ daretur actio.* Nam in quemvis, præter ipſum herum opinor, injuriarum actionem ſervis concedi, ex verbis ſequentibus patet. Ὑπερείδης γοῦν ὁ ῥήτωρ ἐν τῷ κατὰ Μαντιθέου αἰκίας, φησὶν, ἔθεσαν οὐ μόνον ὑπὲρ τῶν ἐλευθέρων, ἀλλὰ καὶ ἐάν τις εἰς δούλου σῶμα ὑβρίσῃ, γραφὰς εἶναι κατὰ τοῦ ὑβρίσαντος. *Itaque Hyperides Rhetor in oratione contra Mantitheum, ſtatuerunt*, inquit, *non tantum contra eum injuriarum actionem dari, qui liberos injuriâ affecerit; ſed & qui ſervi corpus contumelioſe flagris ceciderit.* Recte itaque *Samuel Petitus Comment. in leges Atticas pag.* 176. illum Athenæi locum refert ad iſtam Athenienſium legem, quæ injuriarum actionem dabat, contra eum, qui ſervum alienum pulſaſſet. Non nego tamen Athenis jus fuiſſe ſervis dominos iniquos adigendi, ut ſe venderent æquioribus: id enim abundè *Petitus* probat. Quin, certâ pecuniâ perſoluta, libertatem conſequi

ſequi poterant. Quippe fuerunt ſervorum jura apud Athenienſes, quam apud Romanos, longe ſolutiora. Huc *Plautus* reſpicit *Stic. Act.* III. *Sc.* I.

> *Atque id ne vos miremini; homines ſervolos*
> *Potare, amare, atque ad cœnam condicere.*
> *Licent hæc Athenis nobis.*

Hinc quoque *Demoſthenes* dicit *Philippicâ* III. Πολλὺς ἂν τις οἰκέτας ἴδοι παρὰ ἡμῖν μετὰ πλείονος ἐξουσίας ὅ τι βούλονται λέγοντας, ἢ πολίτας ἐν ἐνίαις τῶν ἄλλων πόλεων. *Videre eſt in noſtra civitate, ſervos multo liberius loqui quam in aliis quibuſdam urbibus ipſos cives.* Optime certe Athenienſes juſtam & clementem ſervitutem præferebant; iſta fortaſſe ratione impulſi, quod ſatis ſua ſponte miſeranda erat ſervorum conditio. Ad animum revocabant, unde primùm ſervitus nata eſſet, quippe ab iis, qui cum ſe tueri non poſſent præ mentis aut virium infirmitate, potentioribus & ſapientioribus in ſervitutem ſe dabant. Multi cum natura ſui juris eſſent, in prudentiorum clientelam ultro venerunt, atque illis operas ſuas locaruna. Audiamus *Poſidonium* apud *Athenæum Lib.*VI. *cap.*18. Ποσειδώνιος δέ φησιν ὁ ἀπὸ τῆς στοᾶς, ἐν τῇ τῶν ἱστοριῶν ἑνδεκάτῃ, πολλούς τινας ἑαυτῶν οὐ δυναμένους προΐστασθαι, διὰ τὸ τῆς διανοίας ἀσθενὲς, ἐπιδοῦναι ἑαυτοὺς εἰς τὴν τῶν συνετωτέρων ὑπηρεσίαν, ὅπως παρ᾽ ἐκείνων τυγχάνοντες τῆς εἰς τὰ ἀναγκαῖα ἐπιμελείας, αὐτοὶ πάλιν ἀποδιδῶσιν ἐκείνοις δι᾽ αὐτῶν ἅπερ ἂν ὦσιν ὑπουργεῖν δυνατοί. *Poſidonius Stoicus undecimo libro hiſtoniarum*

rum scribit; Quosdam & eos non paucos, quia propter imbecillitatem ac tarditatem mentis jus suum tueri nequirent, prudentioribus se ministros tradidisse, ut iis, quæ necessario mente provideri debebant, acceptis, ipsi vicissim reddant suam illis, quam poßunt, ministrandi operam. Sic servi, quibus anima pro sale data erat, ne putrescerent, dominorum sapientiâ regebantur, & à periculis præstabantur immunes. Illi corporis instar, domini instar animæ ac mentis erant. Itaque Græci, quod & Latini Jurisconsulti imitati sunt, servos σώματα id est, *corpora* vocabant, uti prolixe probant Viri doctissimi *J. Casaubonus Animad. in Athenæum Lib.* V. *cap.* 10. *& Thomas Gatakerus de Stylo N. Test. cap.* 10. *pag.* 103. *& seqq.* Cum Posidonio non male convenit *Basilio*, qui non injuria *Magni* cognomen sortitus est, *Libro de Spiritu Sancto, c.*20. Non pigebit integrum ejus locum describere, licet paulo longiorem.

Οὐκ ἐνοῦντες, ὅτι παρὰ μὲν ἀνθρώποις τῇ φύσει δοῦλος οὐδείς. ἢ γὰρ καταδυναστευθέντες ὑπὸ ζυγὸν δουλείας ἠνέχθησαν, ὡς ἐν αἰχμαλωσίαις. ἢ διὰ πενίαν κατεδουλώθησαν, ὡς οἱ Αἰγύπτιοι τῷ Φαραῷ. ἢ κατά τινα σοφὴν καὶ ἀπόρρητον οἰκονομίαν οἱ χείρους τῶν παίδων, ἐκ τῆς τῶν πατέρων φωνῆς, τοῖς φρονιμωτέροις καὶ βελτίοσι δουλεύειν κατεδικάσθησαν. ἣν οὐδὲ καταδίκην, ἀλλὰ εὐεργεσίαν εἴποι τις ἂν δίκαιος τῶν γινομένων ἐξεταστής. Τὸν γὰρ, δι' ἔνδειαν τοῦ φρονεῖν, οὐκ ἔχοντα ἐν ἑαυτῷ τὸ κατὰ φύσιν ἄρχον, τοῦτον ἑτέρου κτῆμα γενέσθαι λυσιτελέστερον. ἵνα τῷ τοῦ κρατοῦντος λογισμῷ διευθυνόμενος, ὅμοιος ᾖ ἅρματι ἡνίοχον ἀναλαβόντι, καὶ πλοίῳ κυβερνήτην ἔχοντι ἐπὶ οἴακι καθήμενον. *Hoc est, vertente Erasmo;*

mo: Haud reputantes apud homines quidem nullum esse naturâ servum. Aut enim qui viribus pressi sunt, sub jugum servitutis inducti sunt, veluti in bello capti: aut ob paupertatem in servitutem adacti sunt, velut Ægyptii Pharaoni: aut juxtà arcanam quandam ac sapientem dispensationem, parentum voce, sapientioribus ac melioribus in servitutem addicti sunt; sed quam haudquaquam condemnationem, sed beneficium potius duxerit æquus rerum æstimator. Nam qui ob sensus inopiam non habet in sese id quod naturâ imperat, huic utilius est in alterius esse potestate: ut dum potentioris prudentiâ gubernatur, similis sit currui, qui aurigam recepit, aut navi, quæ nauclerum habet clavo assidentem. Quod *Basilius* vocat τὸ κατὰ φύσιν ἄρχον, id Græci τὸ ἡγεμονικὸν dicere solent, quasi principatum obtinens & cætera regens. Principatus autem id dicitur, quo nihil in quoque genere nec potest, nec debet esse præstantius, ut *Cicero* ait *Lib.* II. *de Nat. Deor.* Nulli rei melius hoc nomen, quam rationi aut menti convenit, quæ in homine principatum habet, & omnes nostras actiones dirigit, non secus quam auriga currum, ac nauta navem. Tu, Erudite Lector, adi *Cl. Salmasium in Simplicium pag.* 309. & si vacat, cum *Basilio* compara, quæ *Aristoteles* tradit in *Politicis*, & Jurisconsulti, præcipue §. 4. *Inst. de jure Person. & L.* 5. §. 1. *Diges. de Statu Homin.* Nos interim ad ea, quæ instituimus, pergamus. Quamquam solutiora

essent

essent jura servorum apud Athenienses, dum serviebant, quam apud Romanos : tamen in eos, postquam manumisissent illi jus obtinebant longe arctius, quam hi. Ex Atheniensium instituto convictus à patrono libertus ingratus, jure libertatis exuebatur. Hujus instituti meminit *Val. Maximus Lib.* II. *Cap.* I. *Supersedeo te*, inquit Patronus, *habere civem, tanti muneris impium æstimatorem. Nec adduci possum, ut credam urbi utilem, quem domi scelestum cerno : abi igitur, & esto servus, quoniam liber esse nescisti.* Apud Massilienses quoque tres in eodem manumissiones rescindi poterant : si verò quartò dominus deciperetur, errori subveniendum non putabant. Video hoc quoque Romanis licuisse, sed tantum in proprios filios, quos ter à parentibus venum dari potuisse lex Romuli statuit, uti docet optimæ frugis scriptor *Dionysius Halicarnassensis Lib.* II. *Cap.* 28. In cæteros verò, semel manumissos, etsi forent in patronos ingrati, nihil certum à Romanis statutum fuit, donec Claudius Imperator *ingratos & de quibus patroni quererentur*, ut *Suetonius* refert. *Vitâ Claudii Cap.* 25. *revocavit in servitutem : advocatisque eorum negavit se adversus libertos ipsorum jus dicturum.* Hoc autem non de omnibus ingratis libertis, sed de iis tantum intelligendum esse, qui delatores submiserint, qui patrono de statu ejus facerent quæstionem, recte docet *Casaubonus Comm. ad h. loc. ex lege* 5. *D. de Jure Patron.* Consule

etiam,

etiam, si libet, §. 1. *Inst. de Capitis deminut.* & *L. 2. C. de Libert. & eorum liberis.* Adi porrò, quem aliquoties jam citavimus, doct. *Petitum Comment. in leges Atticas pag.* 182. de quo viro satis multa tibi suppeditabit *Paulus Colomesius in Galliâ Orientali pag.* 169. & *seqq.* Hoc unum addo, Petitum, cum in Punicorum Plautinorum expositione à Salmasio Grotioque vituperetur, ob eam tamen à *Reinesio* laudari *Epist. ad Daumium pag.* 309. *De sermone Punico apud Plautum scripsi, posse ad Hebraismum reduci, & fore, ut, si omnia monstra lectionum, & ineptias librariorum inde refingamus, ista Punica plane Hebraea esse certò simus deprehensuri. Hoc verò omnium esse verissimum, interea dum mea eduntur, ostendit elegante ingenio homo Samuel Petitus, qui omnium istorum Plautino-Punicorum à doctis depositorum veras lectiones ex Hebraismo constituit, & exposuit, ita ut nemo desiderare praeterea possit quicquam.* Sic hominum doctissimorum judicia non rarò discrepant. De Punicis autem Plautinis vide autores, quos citat *Pfeifferus Notis ad libellum de lusu fol. P. verso.* Nos aliund jam agimus, neque ita sumus in Hebraicis, versati, ut in hac causa ferre audeamus ullam sententiam. Apud Athenienses servi habebant suum peculium, ex quo aliquid dominis suis pendebant quotannis, atque etiam pro capite numerabant suo, ut servitutem exuerent. Multas tamen occasiones Heri captabant, quibus servos peculio emun-

emungerent. Harum aliquas eleganter *Terentius* describit *Phorm. Act.* 1. *Sc.* 1.

Quod ille unciatim vix de demenso suo,
Suum defraudans genium, comparsit miser
Id illa (nova nupta) universum abripiet, haud existimans
Quanto labore partum, porro autem Geta
Ferietur alio munere, ubi hera pepererit:
Porro autem alio, ubi erit puero natalis dies:
Ubi initiabunt. Omne hoc mater auferet:
Puer erit causa mittendi.

Secus erat apud Romanos, ubi servus nihil habere poterat, in quod hero jus non competeret: nam, ut Imperator ait, §. 3. *Inst. per quas pers. cuique acq.* dominis *acquiritur, quod servi ex traditione nanciscuntur: sive quid stipulentur, sive ex donatione, vel ex legato, vel ex qualibet aliâ causâ acquirant. Ipse enim servus, qui in potestate alterius est, nihil suum habere potest.* Mentio quidem fit apud Romanos peculii servorum; sed eo nomine tantum intelligitur *ea pecunia, vel quævis alia res, quæ servis voluntate dominorum relinquitur, ut cum ea negotientur: & ista pecunia dicitur velut patrimonium servi, cum tamen non sit; sed quia separata est à dominicis rationibus*, uti recte observat *Meisingerus in scholiis ad* §. 20. *Inst. de Legatis.* Desinam de servis conscribere, ubi aliquid addidero de eorum sepultura. Erat Romæ locus extra portam Exquilinam,

nam, qui *Puticula* vel *Puticuli* dicebatur, à puteis ibi fossis, in quibus condebantur pauperum ac servorum cadavera; qui locus tandem in amænissimos hortos à Mæcenate est conversus. Tunc alium suburbanum Augustus isti usui destinavit, quem ferunt *Culinas* esse dictum. Servis autem inscriptiones ponere vetitum non fuisse, docet *Jacobus Gutherus de Jure Manium Lib.* II. *c.* 36. quem vide sis, ut & *Kirchmannum de fun. Roman. Lib.* II. *cap.* 23. Athenis servos mortuos ungere, eorumve funeri circumpotationem adhibere, quam Græci vocant περίδειπνον, τὴν ἐπὶ τοῖς ἀποθανοῦσι γινομένην ἑστίασιν, ex Solonis lege non licuit. Hoc *Marcus Tullius* docet *Lib.* II. *de* LL. ubi etiam patet hanc legem à decemviris in duodecim tabulas esse relatam. Verba Ciceronis, ut ea Manutius legenda putat, sic habent: *Hæc præterea sunt in legibus de unctura circumpotationeque:* SERVILIS UNCTURA TOLLITOR, OMNISQUE CIRCUMPOTATIO. Cumque omne fortunæ discrimen in morte tollitur, non minus religiosus erat locus, ubi erant servorum sepulcra, quam ubi divites ac magnates sepeliebantur, ut docet ex Aristone *Ulpianus L.* 2. *D. de Religiosis.* Nec mirum; servorum enim etiam Deos Manes esse credebant, quos publicis inferiis propitiari solitos ex *Varrone* discimus *Lib.* V. *de Ling. Lat. Hoc sacrificium*, inquit loquutus de Accaliis, *fit in Velabro, quà in novam viam exitur, ut ajunt*

quidam ad sepulcrum Accæ (ut quod ibi prope faciunt) DIIS MANIBUS SERVILIBUS, qui uterque locus extra urbem antiquam fuit, non longe à porta Romulana. Atque hæc quidem impræsentiarum de servis suffecerint.

CAP. XV.

Ars Medica Romæ à servis maxime exerceri solita. Dempsterus notatus. Propheta Moses explicatus. Δοῦλος. *Medicina inventa in Ægypto. Suetonius explicatus. Ars Medica in maximo honore apud Græcos, ut & apud Hebræos, De Medicis fœminis. Qui ingenui Romæ medicinam fecerint. Dicta quædam in Medicos scoptica. Drelincurtius notatus. Suetonius expensus. Antonius Musa. Medici à Justiniano ad incitas redacti. Medicina ars vulgaris. Virgilius explicatus. Medici nomen quam late apud Romanos patuerit. Gymnasia sive exercitationes.*

NOn ab equis, quod dicunt, jam transcendemus ad asinos; sed ab asinis potius ad boves, id est, à servis ad Medicos. Artem medicam apud Romanos à servis plerumque exerceri fuisse solitam, nemini, opinor, est ignotum. Itaque non opus est, ut multis probem. Exstat Augusti epistola ad Agrippinam neptem scripta, cujus fragmen-

tum

tum invenitur apud *Suetonium Vitâ Caligulæ C.* 8. & in eo hæc verba : *Mitto præterea cum eo ex servis meis medicum, quem scripsi Germanico, si vellet, ut retineret.* Apud *Senecam Lib.* III. *de Benef. Cap.* 24. sic legimus : *Corfinium Cæsar obsidebat : tenebatur inclusus Domitius. Imperavit Medico eidemque servo suo, ut sibi venenum daret.* Ad quem locum recte Cl. *Lipsius: Diu Medicina Romæ apud libertos aut servos, ut ingenuis parum digna. Julius Cæsar primus decus addidit, & civitate eos donavit : qui liberi nempe & exteri essent. Augustus deinde, in honorem Antonii Musæ, immunitatem.* Vide quoque disertissimum Romuli nepotum, *Marcum Tullium Orat. pro Cluentio*, ex quo itidem colligimus Heros vel lucri, vel amicitiæ causa aliis utendos dedisse servos suos Medicos. *Sassia*, inquit, *emit de A. Rupilio, quo erat usus Oppianicus Medico, Stratonem quendam.* Quin servis Medicis tabernas dabant, ut ibi Medicinam exercerent. *Larinum postquam venit*, Ciceronis sunt verba, *quæ à Stratone illo venenum antea viro suo datum sibi persuasum esse simulasset, instructam ei continuò, & ornatam Larini medicinæ exercendæ causa tabernam dedit.* Conflictantur semper Medici cum ægrotis & sordibus, quod putabant homines dedecere liberos. Turpe quoque videbatur, & ingenuis indignum ex aliorum incommodis sua captare commoda, & victum quærere ex aliorum doloribus. Nam *medicis* ut Seneca ait, *gra-*

vis annus in quæstu est. Lepide eos subsannat *Philemon*:

> Τίς ἐστιν οὗτος; ἰατρός. ὡς κακῶς ἔχει
> Ἅπας ἰατρὸς, ἂν κακῶς μηδεὶς ἔχῃ;
>
> *Quis iste porro? Medicus. ô quam sese habet*
> *Medicus male omnis, nemo si male sese habet!*

Ergo servis medicam artem relinquebant. Adi *Thomam Dempsterum*, *Paraleg. ad Rosini Antiq. Rom. Lib.* II. *Cap.* 17. Qui in eo tamen haud recte opinatus est, quod voluit apud Ægyptios quoque Medicos servos fuisse, quia *Geneseos Cap.* L. *v.* 2. hæc verba occurrunt: ויצו יוסף את-עבדיו את-הרפאים לחנט את אביו: *Et præcepit Joseph servis suis, Medicis, ut aromatibus condirent patrem suum.* Fateor quidem עבד proprie servum denotare; ast hoc semqer obtinere meritò pernego. Non rarò significat *quemvis famulum*, *subditum*, & *alicujus imperio subjectum.* Quare Septuaginta Interpretes non modò per οἰκέτην, aut δοῦλον; sed & per ἄνθρωπον, ὑπηρέτην, & ὑπήκοον reddunt. Quin & δοῦλος apud Græcos non semper sumitur pro eo, qui ipso actu servit; sed aliquandò pro jam manumisso, & δοῦλος οἰκέτης hoc interest. Non ingratis istud à me dici, ex Chrysippo docet *Athenæus Lib.* VI. C. 19. Διαφέρειν δέ φησι Χρύσιππος δοῦλον οἰκέτου, γράφων ἐν δευτέρῳ περὶ ὁμονοίας, διὰ τὸ τοὺς ἀπελευθέρους μὲν, δούλους ἔτι εἶναι.

Οἰκέτας

Οἰκέτας δὲ τοὺς μὴ τῆς κτήσεως ἀφειμένους. ὁ γὰρ οἰκέτης, φησὶ, δοῦλός ἐστι κτήσει καταπεταγμένος. *Chrysippus, libro secundo de consensione*, τὸ δοῦλον *discrepare censet* τοῦ οἰκέτου, *quod* δοῦλοι *permaneant, etiamsi manumissi sint;* οἰκέται *vero nondum exierint de potestate dominorum:* οἰκέτην *enim esse adhuc domino obnoxium, qui eum possidet.* Apud Ægyptios saltem, Medicos servos non fuisse hoc unum satis evincit, quod illi medicam artem cæteris fere omnibus anteponebant, ac Medicos multis laudibus honoribusque mactabant, ut bene observatum est à doct. *Riveto ad cit. Genes. locum.* Quin artem Medicam non alibi, quam in Ægypto ortum habuisse, traditum est à viris eruditis. Vide *Hieronymum Mercurialem Var. Lect. lib.* II. *cap.* 18. *Invenio in Græco penu*, inquit *Cælius Rhodiginus Ant. Lect. lib.* XVI. *cap.* 3. *Thoona, id est* Θῶνα, *quem &* Θῶνιν *dicunt, apud Ægyptios fuisse artis Medicæ repertorem.* Nec Tiberii quidem Cæsaris tempore medicina inter Ægyptios excoli desierat: cum enim ejus principatu insolens lues totâ Româ vagaretur quæ joculari nomine Mentagra vocabatur, neque opem ferre possent Medici Romani, *advenerunt ex Ægypto genetrice talium virorum medici, hanc solam operam offerentes, magnâ suâ prædâ*, ut verbis utar *Plinii lib.* XXVI. *cap.* 1. Senserunt autem id malum nec fœminæ, aut servitia, plebesque humilis, aut media, sed proceres, maxime veloci transitu osculi. Hoc credo occasionem de-

disse Tiberio, *quotidiana oscula edicto prohibendi*, narrante in *ejus Vitâ Suetonio Cap.* 34. Quare istud edictum, quod quidam faciunt, superbiæ non adscripserim; maxime quia illo capite nihil *Suetonius* recenset, nisi quod recte & cum ratione à Tiberio est factum. Ab Ægyptiis artis Medicæ honor videtur transiisse ad Hebræos, de quibus recte *Josephus Scaliger Scalig. Prim. pag.* 61. *Apud Hebraos autem Medici servi non erant, ut apud Romanos.* Quanti illi Medicos fecerint, non aliunde melius quam ex *Syracide* patet, quem audi, quæso, loquentem *Cap.* XXXVIII. *v.* 1. 2. 3. Τίμα ἰατρὸν πρὸς τὰς χρείας τιμαῖς αὐτοῦ. Καὶ γὰρ αὐτὸν ἔκτισε ὁ κύριος. Παρὰ γὰρ ὑψίστου ἐστὶν ἴασις, καὶ παρὰ βασιλέως λήψεται δόξαν. Ἐπιστήμη ἰατροῦ ἀνυψώσει κεφαλὴν αὐτοῦ, καὶ ἔναντι μεγιστάνων θαυμασθήσεται. *Affice Medicum honoribus suis propter necessitatem: Dominus enim creavit eum. Nam medicina est ab Altissimo, & à rege gloriam accipiet. Scientia medici extollit caput ejus, & movet admirationem proceribus.* Quid quod Tobias à Raphaële Angelo, medicinam sibi datam sive vere narrat, sive fingit dramatice. De Indis narrat *Rhodiginus Ant. Lect. Lib.* XVIII. *Cap.* 31. eos à suis Brachmanibus *proxime colere medendi peritos : quorum Philosophia circa humani corporis contemplationem distringatur : verum non aliunde peti medicamenta fere, quam ex victus ratione.* Græci quidem Medicinæ inventionem ad ipsos Deos retulerunt, *Ocularia* quidem ad Apollinem, *Cli-*

niçes

vices ad ejus filium Æſculapium, *Chirurgica* vero ad Chironem Centaurum, ut obſervatum eſt à *Dempſtero loco ſup. cit.* Athenis tantam dignitatem arti Medicæ tribuerunt, ut eam addiſcere nec ſervis, nec fœminis licuerit: tandem tamen id fœminis ingenuis conceſſum fuit. Rem totam ex *Hygino* diſcimus *Fabul. Cap.* 274. *Antiqui obſtetrices non habuerunt, unde mulieres verecundiâ ductæ interrerant. Nam Athenienſes caverant ne quis ſervus aut fœmina artem medicinam diſceret. Agnodice quædam puella concupivit medicinam diſcere, quæ cum concupiſſet, demptis capillis, habitu virili, ſe Hierophilo cuidam tradidit in diſciplinam. Quæ cum artem didiciſſet, & fœminam laborantem audiſſet, ab inferiore parte veniebat ad eam: quæ cum credere ſe noluiſſet, æſtimans virum eſſe, illa tunicâ ſublatâ, oſtendebat ſe fœminam eſſe: & ita eas curabat. Quod cum vidiſſent medici, ſe ad fœminas non admitti, Agnodicen accuſare cæperunt, quod dicerent eum glabrum eſſe & corruptorem earum, & illas ſimulare imbecillitatem. Quo cum Areopagitæ conſediſſent, Agnodicen damnare cæperunt: quibus Agnodice tunicam allevavit, & ſe oſtendit fœminam eſſe. Et validius Medici accuſare cæperunt: quare tum fœminæ principes ad judicium convenerunt, & dixerunt: Vos conjuges non eſtis, ſed hoſtes: quia quæ ſalutem nobis invenit, eam damnatis. Tunc Athenienſes legem emendarunt, ut ingenuæ artem medici-*

dicinam discerent. Vide sis *Samuelem Petitum Comment. in Leges Atticas pag.* 300. & de medicis fœminis, quæ etiam Romæ erant, *Thomam Reinesium Epist. ad Rupertum pag.* 296. ubi docet in qualibet urbis regione fuisse certo numero lectas mulieres, quæ & medicandi opere & obstetricandi vitam tolerabant. Quamquam autem, ut dictum est hujus initio capitis, medici plerumque servi erant apud Romanos, non deerant tamen ingenui, qui hanc artem exercerent. Hi ex Græcia potissimum, aut Ægypto adveniebant. Clarissima in hanc rem sunt *Plinii* verba *Lib.* XXIX. *cap.* 1. *Solam hanc (Medicinam) artium Græcarum nondum exercet Romana gravitas in tanto fructu: paucissimi Quiritium attigerunt, & ipsi statim ad Græcos transfugæ: imo vero auctoritas aliter quam Græce eam tractantibus, etiam apud imperitos expertesque linguæ, non est.* Primum è Medicis venisse Romam Peloponneso Archagathum Lysaniæ filium, L. Æmilio, & M. Livio Coss. anno urbis D.XXXV. eique jus Quiritium datum, & tabernam in compito Acilio emptam ob id publice, Cassius Hemina, ex antiquis, memoriæ tradidit. Huc usque Romani sine Medicis degerunt. Inde tamen inferri minime potest Medicos sexcentis annis exulasse Româ, quam veterem calumniam à Medicorum ordine nuper depulit *Carolus Drelincurtius ea oratione, quam quatuor ante annis in celeberrimâ Bataviæ Academiâ habuit.* Istius autem

ca-

calumniæ primum ſeminatorem fuiſſe ſtatuit *H. C. Agrippam*, qui non quinto decimo, ut ille ait, ſed ſexto decimo ineunte ſeculo integra literarum ſeminaria infelici iſtac ſemente conſevit. Natus eſt enim Coloniæ Agrippinæ 1486. obiit verò Gratianopoli 1535. annum ætatis agens quinquageſimum. Nec diu Roma Medicos foverat, cum eorum rurſus tœduit. Audiamus iterum *Plinium l. c. Vulnerarium eum (*Archagathum) *tradunt fuiſſe vocatum, mireque gratum adventum ejus initio: mox à ſævitia ſecandi urendique, tranſiſſe nomen in carnificem, & in tædium artem omneſque medicos.* Atque id profectò non injuriâ: quippe *diſcunt periculis noſtris, & experimenta per mortes agunt: medicoque tantum hominem occidiſſe impunitas ſumma eſt. Quin imo tranſit convitium: ultroque qui periere, arguuntur.* Facete de Medicis *Sidonius Apollinaris Lib.* II. *Epiſt.* 12. *Parum docti, & ſatis ſeduli languidos multos officioſiſſime occidunt*, ad quem locum vide ſis doct. *Savaronem.* Notum eſt illud ex Menandro ſumptum:

Πολλῶν ἰατρῶν εἴσοδός μ' ἀπώλεσε.

Multorum Medicorum introitus perdidit me. De Adriano Imperatore narrat *Xiphilinus Vit. ipſius fine:* Καὶ τέλος τῆς τε ἀκριβείας τῆς κατὰ τὴν δίαιταν ἀπείχετο, καὶ ταῖς μὴ προσηκούσαις ἐδωδαῖς καὶ ποτοῖς χρώμενος ἐτελεύτησε, λέγων καὶ βοῶν τὸ δημῶδες, ὅτι πολλοὶ ἰατροὶ βασιλέα ἀπώλεσαν. *Tandem diætæ rationem penitus ne-*

glexit, & utens iis eduliis potibusque, quæ minime conducebant, exspiravit, dicens & clamans hoc vulgò tritum : Multi medici Regem occiderunt. Non possum hac occasione omittere elegantissimum *Agathiæ* epigramma, quod legitur *Anthol. Græ. Epig. Lib.* II. *Cap.* 22.

Ἰητήρ τις ἐμοὶ τὸν ἑὸν φίλον υἱὸν ἔπεμψεν,
Ὥστε μαθεῖν παρ᾽ ἐμοὶ ταῦτα τὰ γραμματικά.
Ὡς δὲ τό, ΜΗΝΙΝ ΑΕΙΔΕ, καὶ ΑΛΓΕΑ ΜΥΡΙ' ΕΘΗΚΕΝ,
Ἔγνω, καὶ τὸ τρίτον τοῖς δ᾽ ἀκόλουθον ἔπος,
ΠΟΛΛΟΥΣ Δ' ΙΦΘΙΜΟΥΣ ΨΥΧΑΣ ΑΙΔΙ ΠΡΟΙΑΨΕΝ,
Οὐκ ἔτι μιν πέμπει πρός με μαθησόμενον.
Ἀλλά με ἰδὼν ὁ πατήρ· σοὶ μὲν χάρις, εἶπεν, ἑταῖρε.
Αὐτὰρ ὁ παῖς παρ᾽ ἐμοὶ ταῦτα μαθεῖν δύναται.
Καὶ γὰρ ἐγὼ πολλὰς ψυχὰς ἄϊδι προϊάπτω,
Καὶ πρὸς τοῦτ᾽ οὐδὲν γραμματικοῦ δέομαι.

Medicus quispiam mihi misit filium suum dilectum, ut eum in his Grammaticis erudirem. Similac verò didicerat, IRAM CANE, & DOLORES MILLE INTULIT, & tertium versum, qui hosce sequitur, MULTAS AUTEM ILLUSTRES ANIMAS DEMISIT AD ORCUM, non amplius ad me illum mittit, ut disceret. Sed cum me Pater vidisset, gratias tibi, inquit, ô amice, ago : verùm ista à me ipso filius meus discere potest. Ipse enim multas animas ad orcum demitto, nec quicquam Grammatico indigeo, ut hoc faciam. Facetissimum est illud de prætore quodam, qui, certantibus inter se Medicis & Juristis utri dignitate præcederent, litem

tem hanc lepidâ interrogatione diremit: *quæsivit enim (Agrippam* loquentem *audis de Vanit. Scient. Cap.* 82.) *ex litigantibus illis, quis mos & ordo servaretur in educendis ad supplicium reis, uter præcederet & sequeretur, latrone an carnifex? Cum responderent, præcedere latronem, sequi autem carnificem, dedit ille sententiam, præcedant ergo juristæ, sequantur medici: istorum insigne latrocinium, horum temeraria homicidia notans.* Hæc in malos Medicos dicta bonis doctisque odium quidem conflare poterant; verum nunquam efficient, ut arte medicâ carere possimus. Roma saltem post Archagathum Medicis nunquam caruit, quorum aliqui ad summas divitias fuerunt evecti, ut illa gens pecuniæ avidissima esse solet. Istam labem ne ipse quidem Æsculapius effugit. De eo sic canit *Lyricus Thebanus Pyth. Od.* III.

Ἔτραπε κἀκεῖνον ἀγάνορι μι-
σθῷ χρυσὸς ἐν χερσὶν φανεὶς,
ἄνδρ᾽ ἐκ θανάτου κομίσαι
ἤδη ἑαλωκότα. χερ-
σὶ δ᾽ ἄρα Κρονίων
ῥίψαις δι᾽ ἀμφοῖν ἀμπνοὰν
στέρνων κατεῖλεν
ὠκέως, αἴθων δὲ κεραυ-
νὸς ἐνέσκιμψε μόρον.

Impulit illum quoque ingenti mercede aurum, quod manibus viderat, ut hominem mortuum ad vitam reduceret. Quare Jupiter manibus jaculatus fulmem per amborum pectora, statim vitam ademit, & ardens fulmen immisit mortem. Alia exempla

pla vide apud *Plinium loc. sap. cit.* & quædam recentiora apud *P. Camerarium Hor. subcis. lib.*I. *cap.* 4. Non probo tamen *Drelincurtii* argumentum, qui ut Catonis & Archagathi temporibus, plures Romæ fuisse Medicos evincat, Plautum, Terentiumque testes producit. Quis nescit plerasque illorum fabulas ex Græco esse conversas, & eas non Romanorum sed Atheniensium mores respicere? Romæ cum agerentur, fingebantur tamen agi Athenis. Quare sæpius eorum mirari institutum subiit, qui ex Plauto vel Terentio testimonia citant, ubi de consuetudinibus, aut rebus Romanis intercedit controversia. Sed de ea re non est hic agendi locus. Julius Cæsar longo post intervallo magnum decus medicinæ addidit, testante in *ejus Vitâ Suetonio Cap.* 42. *Omnesque*, ita scribit, *medicinam Roma professos, & liberalium artium doctores, quo libentius & ipsi urbem incolerent, & cæteri appeterent, civitate donavit.* Hos omnes liberos & exteros fuisse, recte monet *Berneggerus ad hunc loc.* An idem dici possit, ut quidam velle videntur, de illo medico, cujus mentio fit *Cap.* 4. quemque Plutarchus Cæsaris φιλὸν, id est, *amicum* vocant, nondum certum est apud me, nec etiam an fuerit idem ille Antistius, qui principis sui tribus & viginti plagis in senatu confossi cadaver perlustravit, ut non nemo sentit. Nunquam mihi illorum ratio arrisit, qui quicquid à verisimilitudine non omninò abhorret, id continuò obtrudere conantur

tur pro vero. Est hocce ævum ejusmodi ingeniorum nimium profectò quam ferax. Non sequitur, quia *Amicum* à Plutarcho vocatur, ideo liberum fuisse ingenuumque: quamquam Romanos proceres ejusmodi aliquando circa se medicos habuisse non negem. Fuit forte servus domino suo maxime carus, atque ideo *amicus* dictus: sic ille, qui à Pyrrho perfuga senatui est pollicitus, se venenum regi daturum, & eum necaturum, ab antiquis autoribus cum famulus ejus, tum amicus & medicus dicitur fuisse. Quamquam, ut verum fatear, inter famulum & servum non parum interest: nam, ut recte scribit *Ausonius Popma de differt. verb. lib.* II. *famulus dicitur, quicunque in ministerio est, sive servus sit, sive liber, bona fide nobis serviens.* Vel potius credo libertum fuisse, quem Cæsar propter artis peritiam arctâ amicitia complectebatur. Talis fuit Antonius Musa, qui, cum ejus operâ ex ancipiti morbo Augustus convaluisset, non modo magnam pecuniæ vim, sed & statuam adeptus est, quam ei, ære collato, juxta signum Æsculapii statuerunt. Hic ille est, de quo ita *Virgilius in Catalectis*:

Cui Venus ante alios, Divi, Divûmque sorores,
Cuncta, neque indigno, Musa, dedere bona,
Cuncta, quibus gaudet Phœbus, chorus ipseque Phœbi,
Doctior ô quis te, Musa, fuisse potest?

Vide

Vide ad ad hos versus Illust. heroa *J. Scaligerum.* Hujus apud Augustum gratiâ & favore factum esse ferunt, ut universus medicorum ordo immunitatem vacationemque impetraret. Quare mirum non est Augustum, cum magnâ sterilitate, ac difficili remedio, venalitias & lanistarum familias, omnesque peregrinos urbe expelleret, excepisse tamen medicos & præceptores. Quæ sequentes Imperatores de Medicis statuerint, videre est *L. 6. §. 1. & seqq. D. de Excusationibus, & C. de Profess. de Medicis, toto titulo.* Ea non repetam, contentus adscripsisse verba Imperatoris *Inst. de Excusat. Tut. & Curat. §. 15. Item Romæ Grammatici, Rhetores & Medici, & qui in patriâ suâ has artes exercent, & intra numerum sunt, à tutelâ & cura habent vacationem.* Idem tamen Imperator immunitatem vacationemque ademisse videtur medicis: saltem ad incitas fere eos redegisse certum est. Audiamus historicum veracissimum *Procopium Hist. Arcanâ Pag.* 113. Ἀλλὰ καὶ τοὺς ἰατρούς τε, καὶ διδασκάλους τῶν ἐλευθερίων τῶν ἀναγκαίων στερεῖσθαι πεποίηκε. Τάς τε γὰρ σιτήσεις, ἃς οἱ πρότερον βεβασιλευκότες ἐκ τοῦ δημοσίου χορηγεῖσθαι τούτοις δὴ τοῖς ἐπιτηδεύμασιν ἔταξαν, ταύτας δὴ οὗτος ἀφείλετο πάσας. *Sed & Medicos, ac liberalium disciplinarum magistros necessariis ad vitam exclusit; quam enim priores Romani principes his ab ærario largiti sunt, sportulam ademit.* Et paullo inferius: Καὶ οὔτε ἰατρῶν τις, ἢ διδασκάλων τῶ λοιπὸν ἐγίνετο λόγος. *Neque medicorum, neque magistrorum ulla in poste-*

posterum ratio habebatur. Plura si de Medicis, & Medicæ artis præstantiâ scire desideras, consule *Franciscum Vallesium de sacrâ Philosophiâ cap.* 74. *nec non Barnabam Brissonium Antiq. Select. lib.* III. *cap.* 3. *&* 4. Sed quicquid sit de immunitate Medicorum & arte medica, nunquam eam Romani dignam duxerunt, quì exerceretur à patriciis, senatoribus, Equitibusve: sed à mediâ potius vel infimâ plebe. Aut, fallor, aut *Cicero lib.* I. *de Offic.* hoc innuit: *Quibus autem*, inquit, *artibus aut prudentia major inest, aut non mediocris utilitas quæritur, ut Medicina, ut Architectura, ut doctrina rerum honestarum; hæ sunt iis, quorum ordini conveniunt liberales.* Quare non injuriâ *Marcus Antonius lib.* VI. τῶν εἰς ἑαυτὸν §. 26. medicinam refert inter artes vulgares, ad quem locum adi sis *Mericum Casaubonum magni Isaaci filium.* Hinc facile est intelligere, cur *Virgilius Æneid. lib.* VI. *v.* 391. Iapin Medicum vocat *inglorium*:

Jamque aderat Phœbo ante alios dilectus Iapis
Iasides: acri quondam cui captus amore
Ipse suas arteis, sua munera lætus Apollo
Augurium citharamque dabat, celereisque sagittas.
Ille, ut depositi proferret fata parentis,
Scire potestates herbarum, usumque medendi
Maluit, & mutas agitare inglorius arteis.

Qua-

Quare autem medicina *ars muta* à *Virgilio* dicatur, cùm cæteri interpretes, tum ex *Ursino* docet *Mercurialis Var. Lect. lib* III. *cap.* 13. Atque hic tenendum est medicinæ nomen aliquanto latius apud Romanos olim patuisse, ac hodie apud nos patet: qua de re vide *Joannem Calvinum in Lexico Juridico.* Certe etiam inter medicos referuntur *qui alicujus partis corporis, vel certi doloris sanitatem pollicentur: ut puta si auricularius, si fistulæ, vel dentium: non tamen si incantavit, si imprecatus est, si (ut vulgari verbo impostorum utar) exorcizavit: non sunt ista medicinæ genera, tametsi sint, qui hos sibi profuisse, cum prædicatione affirment,* ut legere est *l.* 1. §. 3. *D. de Extra. Cognit.* Quin & *obstetrix medicinam utique exhibere videtur,* uti dicitur §. *præced.* Habuisse autem Romanos non secus ac Græcos Medicos quosdam, qui nudis quibusdam experimentis peculiares corporum humanorum partes curare profitebantur, veluti aures, testes, dentes, sed præsertim oculos, dudum est quod docuit *Mercurialis Var. Lect. lib.* II. *cap.* 8. Isti multum præstitere agyrtis nostris & circumforaneis, qui non de unâ fidelia, quod dicunt, duos parietes dealbant; sed unâ eâdemque potione, sive unguento quosvis morbos curare præsumunt. De his vide quæ non ineleganter congessit *Henricus Salmuth. ad Pancirollum de Novis Repertis pag.* 48. Nihil amplius de Medicis & arte medicâ addam, nisi eam vul-

go

go dividi in partes duas, ὑγιεινὴν seu *conservativam*, & θεραπευτικὴν sive *curativam.* De hac vel illa agere medicorum est. Id modò dicam ad valetudinem conservandam quatuor generum præsidia requiri. Illa sunt τὰ προσφερόμενα, τὰ κινέμενα, τὰ ἔξωθεν προσπίπτοντα, & τὰ ποιέμενα. Ad quartum genus potissimum pertinent gymnasia sive exercitationes, quas medicinæ caussa primitus inventas fuisse non absque ratione asseritur. De illis accuratissime scripsit *H. Mercurialis* VI. *Libris de Arte Gymnasticâ.* Hunc sequutus est *Petrus Faber* eo libro, quem inscripsit *Agonisticon.* Ex utroque pleraque sua desumpsit *Jacobus Lydius*, qui doct. senex ante duodeviginti annos egregium libellum edidit de *Agonistice Sacrâ.*

CAP. XVI.

Duo fœderum genera. Livius notatus. Fœderati quinam proprie dicti. Perperam Unitas nostras provincias fœderatas appellant. Fœdera columnis æneis inscripta, & apud multos olim sanguine humano sancita. Simile quid à Gentilibus olim Christianis objectum; ut & hodie Judæis. Scordisci sanguinem humanum bibebant; Sarmatæ equinum. Hausto taurino sanguine aliqui obierunt. Judæi & Muhammedani ex religione suâ tenentur sanguine abstinere. Christiani non item. Lucas Euangelista in Actis explicatus. Virgilius correctus.

CUm primum luctari cæpissemus cum gravi hocce bello, quod coacti adversus Gallos gerimus, Deum experti sumus nostris peccatis valde iratum. Hinc tot illæ clades, quibus respublica nostra, extremum spiritum ducens, pene exspirauit. Nihil aliud videbatur exspectandum, quam ut universa patria, cum tantâ curâ tantoque molimine exstructa, corrueret, aut Gallis sese submitteret. Jam melius sperare licet, maxime postquam Gravia, urbs munitissima, in nostram redacta est potestatem. Tunc impar fœdus facile in-

injissemus: nunc nullum, nisi æquis legibus ictum. Duo sunt enim fœderum genera, de quibus vide *Proculum L. 7. D. de Capt. & Postlim. redempt. ab hostibus.* Scio quidem *Livium* tria genera statuere; sed, ut ego opinor, minus recte. Sic ille *lib.* XXXIV. *pag. Edit. Aldinæ* 277. *Esse tria genera fœderum, quibus inter se pacifcerentur amicitias civitates regesque. Unum cum bello victis dicerentur leges. Ubi enim omnia ei, qui armis plus posset, dedita essent, quæ ex iis habere victos, quibus mulctari eos velit, ipsius jus atque arbitrium esse. Alterum, cum pares bello æquo fœdere in pacem atque amicitiam venirent: tunc enim repeti reddique per conventionem res, & si quarum turbata bello possessio sit, eas aut ex formula juris antiqui, aut ex partis utriusque commodo componi. Tertium est genus, cum, qui hostes nunquam fuerint, ad amicitiam sociali fœdere inter se jungendam coeant. Eos neque dicere, neque accipere leges; id enim victoris & victi esse.* Verùm si rem accuratius examinemus, comperiemus de dedititiis dici solere, eos esse in ditione, non autem in fœdere. Itaque duplex tantum erat fœderum genus, alterum æquis conditionibus ictum, alterum imparibus sive iniquis. Operæ prætium est de hisce legere magnum Literarum lumen *Petrum Fabrum Sem. lib.* I. *c.* 7. Illi, quibuscum fœdus iciebatur impar, tenebantur alterius populi majestatem comiter observare, suis tamen legibus relicti. Hos liberos esse, omnino in-

telligendum est. Atqui hi proprio nomine fœderati dicebantur, ac superiori populo auxilia subministrabant. Vide *Novell.* CXVI. *Cap.* I. Luculenter quoque *Cicero* docet, quinam populi fœderati vocentur, iis locis, qui dudum sunt ab aliis adnotati, à *Fabro* maxime l. c. & *Dionysio Gothofredo* notis ad *L.* 7. *D. de Capt. & postlim. redemp. ab host.* Fœderati, etiamsi liberi essent, erant tamen eo populo inferiores, cujus esse fœderati dicebantur. Libertatis autem eorum nullum certius esse signum potest, quam quod eos Romani magistratus absque lictoribus adibant. Hoc à Tiberio factum est Rhodi, & à Germanico in oppidis liberis & fœderatis. Vide *Suetonium Vitâ Tib. cap.* II. & *Vitâ Cal. cap.* 3. De eodem Germanico *Tacitus* narrat *Annal. lib.* II. eum *fœderi sociæ & vetustæ urbis Athenarum dedisse, uno ut lictore uteretur*, ad quem locum *Justum Lipsium* adi. Si quis tamen à fœderatis populis Romam legatus mitteretur, eum in orchestra considere Augustus non permisit: *cum quosdam etiam libertini generis mitti comperisset*, testante in *Augusto Suetonio cap.* 44. Non æque rigidus fuit Claudius Cæsar, de quo idem auctor ita scriptum reliquit: *Germanorum legatis in orchestra sedere permisit, simplicitate eorum & fiducia motus, quod in popularia deducti. cum animadvertissent Parthos & Armenios sedentes in senatu, ad eadem loca sponte transierant, nihilo deteriorem virtutem aut conditionem suam prædicantes;*

eantes; *Vitâ Claudii cap.* 25. Fœderatis autem populis libertatem aliquando fuisse ademptam, clarum est ex *Vitâ Aug. cap.* 47. & *Tib. cap.* 37. ad quem locum in editione Schildiana hæc ex *Carolo Sigonio*, Viro doctissimo, verba adferuntur: *Ut earum civitatum, quæ servitute oppressæ sunt, stipendiariæ proprie dictæ, quæ aliquid populo Romano penderunt, immunes, quæ nihil; sic earum, quæ libertate donatæ sunt, fœderatæ præcipue appellatæ, quæ aliquid ex fœdere debuerunt, liberæ, quæ omnino nihil. Libertas autem in eo comprimis sita est, ut suis uti legibus, suosque creare more patrio magistratus possent.* Ex dictis satis liquet non satis accurate eos loqui, qui septem Belgii provincias, (provinciarum nomen non pro divictis regionibus, quæ propria est vocis significatio, sed pro quavis diæcesi sumimus) quæ arctissimis inter se vinculis sunt colligatæ, *fœderatas* vocitant. Hæ non iniquo, sed æquo fœdere coierunt; & non tantum una quæque suis legibus vivit; verum etiam æquali inter se jure omnes fruuntur. Nulla cæteris est superior, aut tenetur aliarum majestatem comiter observare. Has posses *confœderatas* dicere, cum quadam inter cunctas relatione, nisi eam vocem multi rejicierent, ut Latinis auribus insuetam. Quare melius *Unitas* dixeris ab ea unione, quæ inter omnes facta fuit Ultrajecti anno 1579. De fœderibus autem ipsis multa sunt à variis scriptoribus collecta. Solebant illa, non secus quam leges, & res gestæ, æneis

columnis plerumque inscribi, ad perpetuum & indelebile monumentum, ut bene observat *Thomas Gatakerus in Cinno pag.* 405. Quin & saxis ea cautibusque apud rudiores populos incisa fuisse, multi sunt, qni testantur; quod apud Danos quoque obtinuisse, ni me fallit memoria, aliquando legi *apud Saxonem Grammaticum.* Id certum est, teste eodem Historico *in Præf. Hist. Danicæ*, eos patrii sermonis carminibus vulgata, linguæ suæ literis, saxis & rupibus insculpenda curasse. *Tanta quippe tradendæ rerum suarum memoriæ cupido eos incessit, ut voluminum loco vastas moles amplecterentur; codicum usum à cautibus mutuantes.* Modi, quibus fœdera coibant, admodum fuere diversi. Hebræi olim solebant dissecare pecus, plerumque juvencam, in partes duas, & per eas transire, velut idem sibi imprecantes, si primi fœderis initi leges violassent. Multi ex Græcis, & præ cæteris Macedones feriebant fœdera, vel pane præciso & invicem gustato, aut vini poculo epoto. Quin & hoc apud eos moris fuit in sanciendis fœderibus, ut ferrum candens manibus tenerent, quod proprie μύδρος vocatur, Deos precati, ut fœdus tam diu duraret, quam illud latuisset, statimque præcipitarent in mare. Romani cæsâ porcâ, per Jovem Lapidem jurantes, fœdera confirmabant. Plurimæ nationes sanctissimum fœderis vinculum putabant, humanum sanguinem bibisse, sive proprium, sive alienum. Hoc si prolixe probatum

vi-

videre desideras, adi *Alexandrum ab Alexandro lib.* V. *cap.* 3. *Eliam Putschium Notis ad Salustii Catilinam Cap.* 22. *Augustum Pfeifferum Antiq. Sac. p.*75. *Justum Lipsium ad Taciti Annal. lib.* XII. *Iacobum Lydium de Cœnâ Dominicâ Literatorum pag.* 59. *Ouzelium ad Minutium Felicem Pag.* 165. *aliosque.* Videmus quoque ab improbis Ethnicis simile quid objectum fuisse Christianis, quos ab hoc crimine satis absolvit *Plinius Cæcilianus lib.* X. *Epist.* 97. ubi hæc verba usurpat: *Adfirmabant autem, hanc fuiße summam vel culpæ suæ, vel erroris, quod essent soliti stato die ante lucem convenire, carmenque Christo, quasi Deo, dicere secum invicem: seque sacramento non in scelus aliquod obstringere; sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum appellati abnegarent: quibus peractis morem sibi discedendi fuiße, rursusque coeundi ad capiendum cibum, promiscuum tamen & innoxium.* Ad hunc locum consule *Franciscum Balduinum in Commentario, & in Prolegomenis ad Minucii Felicis Octavium.* Ipse apud *Minucium Cæcilius*, in Christianos ita invehitur: *Infans farre contectus, ut decipiat incautos, apponitur ei, qui sacris imbuatur. Is infans à tirunculo farris superficie, quasi ad innoxios ictus provocato, cæcis occultisque vulneribus occiditur: hujus, proh nefas! sitienter sanguinem lambunt, hujus certatim membra dispertiunt, hac fœderantur hostiâ, hac con-*

 scien-

scientiâ sceleris ad silentium mutuum pignerantur Quæ calumnia quantum abest à vero, *Minucius* his verbis ostendit: *Nobis homicidium nec videre fas, nec audire: tantumque ab humano sanguine cavemus, ut nec edulium pecorum in cibis sanguinem noverimus.* De Judæis quoque traditur, eos quotannis sive puerorum, sive adultorum Christianorum sanguinem effundere, ac bibere; ut eo sanentur à fœdo sanguinis profluvio, quo infestari illos ajunt ab eo tempore, quo Servatarem nostrvm ad pœnam poscentes clamitabant: Σταύρωσον, σταύρωσον αὐτόν. *Crucifige, Crucifige eum,* Ferunt autem barbarum illum morem originem traxisse ex vaticinio cujusdam inter eos prophetæ, qui dixerat eos sanari non posse, nisi solo sanguine Christiano. Hoc de Christi solius prætiosissimo sanguine dictum, Judæi ad horrenda homicidia traxere. Vide *Iacobum Lydium de Cœnâ Dominicâ Literatorum pag. 65. & ex quo Lydius descripsit, Kornmannum de Miraculis Mortuorum, Parte* V. *cap. 25. Item Iacobum Geusium dialogo, cui titulus, Cajaphas & Annas ex orco fugitivi. pag.* 40. Cæterùm an vere istud de Judæis dicatur certo non affirmaverim. Ipsi saltem uno ore negant. Neque desunt exempla homicidii Judæis à malis Christianis falso objecti. Consule *Historiam Iudaicam ex Hebræo in Latinum à Georgio Gentio conversam, imprimis pag.* 78. 130. 156. Sed hæc nihil ad fœdera, sanguine humano olim, ut diximus, sancita. De Armeniis

Ibe-

Iberiſque verba *Taciti* deſcribam *Annal.* XII. *Mos eſt regibus, quoties in ſocietatem coeant, implicare dextras, polliceſque inter ſe vincire, nodoque perſtringere. Mox ut ſanguis in artus exextremos ſe effuderit, levi ictu cruorem eliciunt, atque invicem lambunt. Id fœdus arcanum habetur, quaſi mutuo cruore ſacratum.* Hinc non multum abludit ille mos, quem in feudis Ligiis obſervari fuiſſe ſolitum *Philippus Camerarius* docet *Horarum ſubciſivarum lib.* I. *cap.6. & lib.*II. *cap.* 59. Fœdera autem humano cruore ſacrari minus mirum videbitur, ſi cogitemus olim non defuiſſe populos, qui vini aut aquæ inſtar ſanguinem potabant, eundemque humanum. De Scordiſcis, Thraciæ gente, id ſcriptum reliquit *Sextus Rufus Breviarii cap.* 9. Merito ferinam hanc crudelitatem exhorreſcimus, cum vel à brutorum ſauguine quodam naturæ inſtinctu abſtineamus. Quamquam non nego, multos hunc potitaſſe, & Sarmatas imprimis, qui apertis equorum venis vitam inde tolerabant. Quò haud dubiò reſpicit *Martialis Lib. de Spect. Epig.* 3.

Quæ tam ſepoſita eſt, quæ gens tam barbara, Cæſar,
Ex qua ſpectator non ſit in urbe tua
Venit ab Orpheo cultor Rhodopeïus Hemo,
Venit & epoto Sarmata paſtus equo.

Hoc, etſi ſint, qui interpretantur de lacte equino, melius tamen de eorum ſanguine intelligitur. Vide *Martinum Opitium Var. Lect. cap.* 9.

 & 16.

& 16. Gravis ac terrestris est brutorum sanguis, ac multorum, ut docent Medicorum filii, morborum causa, si quis eo utatur. De caprino & taurino sanguine legere est *Plinium lib.* IX. *cap.* 38. *& lib.* XXVIII. *cap.* 9 Hausto taurino sanguine aliquos obiisse à variis est proditum. De Livio Druso vide *Aurelium Victorem cap.* 66. de Mida Phrygiæ Rege *Cœlium Rhodiginum lib.* XIV. *cap.* 12. de Themistocle *Cornelium Nepotem*; nam quod hic de veneno tradit, id de taurino sanguine intelligendum esse, clare docet *Gebhardus in spicilegio.* Vide *&* *Aristophanem in Equitibus Act.* I. *Sc.* I.

Βὲλτιστον ἡμῖν αἷμα ταύρειον πιεῖν·
Ὁ Θεμιστοκλέυς γὰρ θάνατος αἱρετώτερος.

Erit optimum bibere taurinum sanguinem : nam mors Themistoclis optatissima omnium. Est igitur Physica ratio, quare â sanguine brutorum abstineamus. A qua multum abest ea, quæ à religione petitur. Scimus Judæos causa religiosi mandati ne quidem sanguinem gustare. Qui tamen in eo dissentiunt, quod alii id ad legem ceremonialem referant, alii numerent inter præcepta Noacho olim data. Judæos, ut in aliis multis, ita hic quoque imitantur Muhammedani, qui tamen sanguine videntur uti ad Medicinam. Consule virum eruditissimum, *Joh. Hen. Heideggerum de Lege Cibaria Veteri cap.* I. Non defuerunt in Christianis Viri, cætera quidem doctissimi & in Theo-

logicis ad prime eruditi, qui in eo errore ſunt verſati, ut putarent, nobis etiam ex divino præcepto à ſanguine eſſe abſtinendum. Hos invictis argumentis refellit *Heideggerus*, *tum dicto Libro*, *tum Tomo.* I. *Hiſtoriæ Patriarcharum*. Locus, quo illi maxime nituntur, occurrit *Act.* XV. 19. 20. Διὸ ἐγὼ κρίνω μὴ παρενοχλεῖν τοῖς ἀπὸ τῶν ἐθνῶν ἐπιστρέφουσιν ἐπὶ τὸν Θεόν. Ἀλλὰ ἐπιστεῖλαι αὐτοῖς τοῦ ἀπέχεσθαι ἀπὸ τῶν ἀλισγημάτων τῶν εἰδώλων, καὶ τῆς πορνείας, καὶ τοῦ πνικτοῦ καὶ τοῦ αἵματος. *Quare ego cenſeo non obtundendos eſſe eos, qui ex gentibus convertuntur ad Deum. Sed ad eos ſcribendum; ut abſtineant à pollutis per ſimulacra, & ſcortatione, & ſuffocatis rebus, & ſanguine.* Recte de hoc loco judicat *Cl. Heinſius Exercit. Sac. pag.* 300. nullum in ſacris libris locum eſſe, in quo plus difficultatis invenerunt, plus reliquerunt ſummi Viri. Nec ipſe mihi ſatisfacit. Minus adhuc illi; qui ſtatuunt Apoſtolos cum interdicto temporaneo rerum adiaphorarum conjunxiſſe interdictum ſcortationis, quam & jus naturæ, & Romanæ quoque leges prohibent. Rem omnem expediviſſe videtur *Alexander Morus*, acutiſſimi vir ingenii, & facundiæ plus quam humanæ, *Notis ad Novum Teſtamentum pag.* 115. Sentit enim Apoſtolos duo prohibuiſſe ſumme quidem neceſſaria, ſortationem, imprimis cum mulieribus extraneis, & omnem idololatriæ participatum. Res verò ſuffocatas & ſanguinem non προηγουμένως vetari; ſed velut appendices τῶν εἰδωλοθύτων. Hæc prohibere neceſſe habebant Apoſtoli: nam

ut

ut ex Judæis Christiani vix ac ne vix quidem poterant dediscere legem Mosaicam ; ita Christiani ex Gentibus ægre carebant festivis post sacrificia conviviis. Fugiebant quidem oblationem ; at non ita convivium, quod erat participatio sacrificii ex oblatis. Hæc ratio est, cur Apostolus hanc pollutiònem vocat 1 *Cor.* x. 20. 21. κοινωνίαν τῶν δαιμονίων, ποτήριον δαιμονίων. & τραπέζην δαιμονίων. *Societatem cum Dæmonibus, calicem Dæmonum, & mensam Dæmonum.* Stat igitur sententia sanguinis brutorum esum Christianis divinitus non prohiberi. Physicas rationes dari, cur esui non satis aptus sit, libenter atque ultro concedo. De sanguine autem humano quis non abhorreat, nisi ipsis Scythis & Thracibus sit inhumanior, nisi ipsa barbarie magis barbarus? Hæc de Thracibus facta mentio, in memoriam mihi revocat versiculos *Virgilii Ec.* VIII. ubi de Thraciæ quodam monte loquitur:

Nunc scio quid sit amor; duris in cotibus illum
Ismarus, aut Rhodope, aut extremi Garamantes,
Nec nostri generis puerum nec sanguinis edunt.

Miror hos versus in omnibus ferme editionibus sic legi; cum duo summi Viri *Petrus Bembus de Culice Virgilii pag.*788. *& Fulvius Ursinus Notis ad Servium pag.* 57. dudum monuerint, legendum esse.

Aut

Aut Tmarus, aut Rhodope, aut extremi Garamantes.

Non gravabor integra *Bembi* verba describere, ut vel tandem elegantissimus locus corrigatur: *Non est mons Ismarus inhospitalis, ut Rhodope, sed cultus: quem vitibus conserebant, neutro sæpius dictum nomine, & numero plurali. Erat autem etiam urbs, quæ quidem alio nomine Maronæa appellabatur: ut illud quod ait, DURIS IN COTIBUS, neque de oppido neque de monte vitifero possit dici. Est igitur sic legendum:*

AUT TMARUS, AUT RHODOPE:

Tmarus autem, qui etiam Tomarus dicitur, mons est Dodonis asperrimus atque incultissimus, non minus quam Rhodope Thraica. Tota vero etiam Epirus, in qua Dodone est, inculta & ferrox semper est habita. Itaque Poëta cum dixisset, DURIS IN COTIBUS ILLUM, AUT TMARUS AUT RHODOPE: quoniam satis jam sibi videbatur Amoris sævitiam duorum montium asperitate probavisse, probat denuo à loci longinquitate, infertque, AUT EXTREMI GARAMANTES, & quæ sequuntur. Quamquam etiam enumeratio ipsa duorum montium diversis in regionibus positorum, elucere mihi quidem magis videtur, atque splendescere, quam si de positis una

una in Thracia dixisset. Versus quoque & cultior est, & sane hilarior, in quo ter illa segregantis vox AUT dicitur. Vide porro *Ursinum l. c.* Quid quod ipse Bembus testatur se librum admodum vetustum habere, in quo ita scriptum diserte exstat: qui quidem liber cum aliis quibusdam etiam ad Ursinum devenit. Atque hæc de *Virgilii* loco.

Claudite jam rivos, pueri: sat prata biberunt.

CAP. XVII.

Persii vulgata Lectio contra Salmasium asserta. Terentius illustratus, & contra eumdem Salmasium defensus. Juno Lucina eadem cum Luna sive Diana, neque alia ab Astarte & Urania. Quare Lucina Dicta. Hæc Græcis Εἰλείθυια. *Etymon* τῆς Εἰλειθύιας. *Lilith Adami ante Evam uxor, ac nonnihil de Adamo. Plautus explicatus contra Salmasium. Nocturnus idem qui Vesperus; qua occasione aliquid de Vespero & Lucifero.*

RECte à *Cebete* scriptum est *in tabula* ὅτι πάντες πίνουσι τὸ ποτήριον τῆς πλάνης, καὶ τῆς ἀγνοίας. ἀλλ' οἱ μὲν πλεῖον, οἱ δὲ ἧττον. *Omnes bibere potionem erroris & Ignorantiæ: sed alios plus alios minus.* Videmus hoc cum aliis in rebus, tum potissimum in

re

re literaria, quæ quoniam admodum est varia & latissime se extendit, neminem hactenus assertorem nacta est, qui alicubi non cespitaverit. Maximum in studiis literariis nomen merito suo consequutus est; *Claudius Salmasius*,

—— —— cujus se pectore tota vetustas
Condidit, & major collectis viribus exit.

Hujus tamen errores multi animadverterunt, & eos profecto non leves. Mihi nuper ejus epistolas relegenti, duo occurrerunt, quæ ut approbem, à me impetrare necdum potui *pag.* 196. contendit pro hisce Persii verbis:

Corvos Poëtas, & poëtrias picas
Cantare credas Pegaséium melos,

legendum esse, *Pegaséium nectar*. Quis unquam audivit nectar auribus propinatum? Bibitur illud quidem à Diis; nunquam verò cantatur, ne ab Apolline quidem & Musis. Multos insanabile auctores corrigendi cocoethes ita tenet, ut quæ sibi displicent, ea statim immutent atque corrumpant. Quæso te, Lector, quid vero est similius *Persium*, ut obscurum ita & duriusculum Poëtam, primam in *melos* produxisse vel auctoritate Homeri, vel literâ *L.* geminatâ; aut divinum potum auribus tribuisse humanis? Interim non est negandum alios quoque idem cum Salmasio de Nectore Persiano sentire; in primis, à quo multi

sum-

sumpserunt, doctissimum *Politianum Miscell. cap.* 44. Porro satis mirari non potui, cum illustrissimum nostrum *Epist. ad Ægidium Menagium pag.* 6. sic vidi scripsisse: *In palliatâ contra decorum Junonem Lucinam invocari à pariente facit Terentius.* Dudum est quod Viri doctissimi *Terentium* adversus hanc calumniam defenderint. Loci autem *Terentii*, quos respiciunt, duo sunt *And. Act.* III. *S.* I. *&* *Adelph. Act.* III. *S.* 4. ubi parturientes Junonem Lucinam sic invocant:

Juno Lucina fer opem, serva me obsecro

Per prolepsin Poëticam fieri excusat *Scaliger de Arte Poëticâ lib.* VI: *cap.* 3. nempe Lucinæ nomen invocari à Græcis. Erat olim, cum de hac re ita judicabam. Quoniam non nisi à castis, & matrimonio jam junctis, aut certò jungendis hanc invocationem esse factam legimus, id eas velle, ut sicut Juno in matrimonio contrahendo faverat, ita sibi faveret Diana in pariendo. Huc respexisse credebam *Virgilium Ecl.* IV. ubi Lucinam ob matronam, dextrâ Junone Pollioni junctam, jamque puerperam, his verbis invocat:

Tu modo nascenti puero, quo ferrea primum
Desinet, ac toto surget gens aurea mundo,
Casta fave Lucina; tuus jam regnat Apollo

Junonem autem matrimoniis præesse multis adductis testimoniis probat Cl. *Brissonius de ritu nuptia-*

nuptiarum pag. 44. Hinc τέλειος *pronuba*, & Ζυγία *Juga* vel *Jugatina* dicitur. De Diana puerperarum curam gerente cum alii multi, tum *Nonnus* meminit *Dionysiac. lib.* 42.

> Αγνυμένην κούρην δὲ μογοστόκον ἔλλαχε Λητώ,
> Ἄρτεμιν Εἰλείθυιαν, ἀρηγόνα θηλυτεράων.

Dolentem puellam ægre partu editam sortita est Latona, Dianam Ilithyriam, auxiliatricem fœminarum. Clara etiam sunt *Horatii* verba *lib.* III. *Od.* 22.

> *Montium custos, nemorumque virgo,*
> *Quæ laborantes utero puellas*
> *Ter vocata audis, adimisque letho*
> *Diva triformis.*

Triformis autem Diana dicitur vel à triplici facie, corniculata, dimidiata & plena; vel quia triplicem personam gerit, triplexque nomen est sortita, in cœlis Lunam, in terris Dianam, apud inferos Proserpinam. Quare Dianæ templum Ephesi conflagrasse perhibent, quia tunc aderat Olympiadi, quæ Alexandrum parturiebat. Hoc alibi apud *Ciceronem* legitur: certe apud *Plutarchum* exstat *circa Init. Vit. Alexandri.* Itaque statuebam, puerperas per Junonem, ac propter eam sibi faventem, invocare Dianam, ut itidem partui adspiraret. Non omnino huic invocationi absimile esse putabam illud Romanorum juramentum, de quo ita apud *Festum* legimus:

O *La-*

Lapidem silicem tenebant juraturi per Jovem, hæc verba dicentes : Si sciens fallo, tum me Diespiter salva urbe arceque bonis ejiciat, uti ego hunc lapidem. Vide *Rosinum Antiq. Roman lib.* X. *cap.* 2. *& Autores, quos citat Ludovicus Vives ad Augustin. de Civit. Dei lib.* II. *cap.* 29. Re verò accuratius perpensâ, sic inveni, omnes Deos ad Solem referri, omnes Deas ad Lunam, ut recte scriptum est à *Macrobio Satur: lib.* I. *c.* 17. Est igitur eadem cum Junone Luna sive Diana. Vide *Plutarchum Quæst. Rom. Edit. Buxhorniana pag.* 51. *& Buxhornium in Notis, Macrobium Satur. lib.* I. *cap.* 15. *Vossium de Idolol. Gent. lib.* II. *cap.* 27. Neque Astarten sive Uraniam aliam esse à Luna vel Junone, ex iis, quæ summi Viri tradiderunt, est clarissimum. Adi imprimis *Fabrum Semest. lib.* III. *cap.* 1. 2. *Fullerum Missiell. Theolog. lib.* I. *cap.* 13, *Scaligerum Notis ad Fragm. pag.* 26. 27. 36. *Seldenum de Diis Syris Syntag.* 11. *cap.* 1. De Antonio Caracalla narrat *Herodianus*, gravis auctor, *lib.* V. *cap.* 6. eum jussisse simulacrum Uraniæ Carthagine afferri, hæc verba addens: Λίβυες μὲν ἂν αὐτὴν Οὐρανίαν καλοῦσι. Φοίνικες δὲ Ἀστροάρχην ὀνομάζουσι, Σελήνην εἶναι θέλοντες. *Hanc Afri Uraniam vocant, Phœnices Astroarchen, Lunam esse affirmantes.* Ergo qui Junonem Lucinam aut Dianam parturientibus adesse dicunt, nomine quidem dissentiunt, re non item. *Lucina* autem (cum *Macrobio Saturn. lib.* VI. *cap.* 16. loquor)

à par-

à parturientibus invocatur, quia proprium ejus munus est, distendere rimas corporis, & meatibus viam dare, quod accellerando partui salutare. Hoc est, quod eleganter Poëta Timotheus expressit:

Διὰ λαμπρὸν πόλον ἄστρων, διά τ' ὠκυτόκοιο Σελάνας.

Per lucidum polum astrorum, perque Lunam, quæ partum accelerat. Huic Junoni Lucinæ, ut *Dionysius Halicarnassensis*, idoneus auctor, tradit, Servius Tullius ærarium instituit, in quod pro singulis nascentibus parentes, sive cognati certi pretii nummum inferrent. Exstant elegantissimi nummi, ex quibus colligant eruditi, quæ partes fuerint Lucinæ circa parturientes, Horum unum nobis videndum exhibet *Oudanius* noster eo libro, quem Belgico Idiomate edidit, *de Potentia Romanâ pag.* 255. Alteros duos doct. *Cuperus Observ. lib.* II. *cap.* 9. desumptos ex *selectis numismatis Petri Seguini, editis Parisiis* 1666. Cur autem Juno sive Diana *Lucina* vocetur, diversæ sunt Doctorum Virorum sententiæ. Multi derivant à *Luce* vel *Luceo*, quia Lunæ est noctu lucere. Alii *Lucinam* ita dictam volunt, quia nascentes in lucem producit. Hoc certe confirmari videtur ex nummis, qui Lucinam sæpe cum face repræsentant. In Saloninæ Augustæ quodam nummo Juno Lucina cernitur, dextrâ infantem, sinistrà facem gestans. Alii tamen facis aliam esse rationem autumant, ut videre est apud *Natalem*

Comitem Mytho. lib. IV. *cap.* 1. Neque desunt, qui ita dictam volunt à lucis, in quibus colebatur. Quæ de lucis Diis olim consecrari solitis à variis sunt tradita, satis sciunt vel paulo in literis versatiores. Neminem proinde cito, præter *Beyerum Additam: ad Seldenum de Diis Syris Syntagm.* 11. *cap.* 2. Dianæ autem præ cæteris luci consecrabantur, forsitan quia venationis erat Dea. Vide *Ouzelium ad Minucium Felicem pag.* 112. De Feronia, eâdem cum Junone vel Diana, sic apud Virgilium invenio *Æneid. lib.* VII. *v. 799.*

Circæumque Jugum, queis Jupiter Anxurus arvis
Præsidet, & viridi gaudens Feronia luco.

Et apud *Silium Italicum lib.* XIII. *v.* 84.

Dives ubi ante omnes colitur Feronia luco.

Juno autem Lucina Græcis Εἰλείθυια dicitur: quod nomen Latini quoque non nunquam usurpant *Ovidius Metam. lib.* IX. *v.* 282.

—— —— Faveant tibi numina saltem,
Corripiantque moras tunc, cum matura vocabis
Præpositam timidis parientibus Ilithyjam.

Horatius Carm. Secul.

Rite maturos aperire partus
Lenis Ilithyja, tuere matres:
Sive tu Lucina probas vocari,
Seu genitalis.

Hanc Ilithyjam Blepyrus cacaturiens invocat; haud

haud dubiò alludeus ad morem puerperarum, apud *Aristophanem* Ἐκκλησ.

> Ὦ πότνι᾽ Ἐλείθυια, μήμε περιίδῃς
> Διαῤῥαγέντα, μηδὲ βεβαλανωμένον,
> Ἵνα μὴ γένωμαι σκωραμὶς κωμῳδική.

Hoc est, vertente *Tanaquillo Fabro*, Viro Græcarum literarum peritissimo: *ô Veneranda Lucina, ne me quaso neglexeris disruptum, podicem obseratum habentem, ut ne lasanum comicum fiam.* Sed obstare dictis videtur, quod multi Ilithyjam non Junonem esse dicant, sed Junonis filiam; quod de Junone Lucina *Donatus* quoque *in Terentium* tradit. *Verum*, ut *Vossii* verba *l. supra c.* faciam mea, *qui Ilithyjam dicunt Dianam sive Lunam non pugnant cum illis, qui Junonis-faciunt filiam; sive Luna hic per Junonem intelligatur, sive aër. Siquidem Luna non agit in parientes* ἀμέσως, *immediate; sed in aëra, qui moderato colore relaxat corporis meatus, quod parturientibus conducit. Aliis igitur Luna ipsa partus dolores levat: aliis verò hoc præstat Luna filia, sive effectus Lunaris; qui est remissio, sive relaxatio humorum, per quam partum reddi faciliorem dicebamus.* De Luna *Plinius lib.* II. *cap.* 101. hunc in modum scribit: *E contrario ferunt Luna fœmineum ac molle sidus, atque nocturnum, solvere humorem & trahere, non auferre.* Adi porro *Natalem Comitem Myth. lib.* IV. *ipso initio.* De Ilithyjæ etymo discrepant eruditi. Aliis placet ita appellatam esse, ὅτι εἰς τὰς

 τίκτουσας

τικτούσαις ἐλθεῖν, quod partuientibus adveniat opifera. Aliis *ἀπὸ τοῦ εἰλίττεσθαι ab evolvendo*, quia nascentes ex utero evolvit. Sed plerique censet etymon esse ex Oriente petendum. Est enim ab יֶלֶד, hoc est, *partus*, *proles*, *puer*, *puella*. Uti hoc ab יָלַד, quod cum *genuit* de viris, tum *peperit* de mulieribus significat. Non est tamen penitus rejicienda illorum opinio, qui derivatum volunt à לִילִית *Lilith*, quod nomen est Lamiæ apud Hebræos, quæ infantes recens natos infestat. Vide *Seldenum de Diis Syris Syntag.* 11. *l.* 2. *& Beyerum in additamentis*, *Buxtorfium Lex. Talm. pag.* 1140. *& Synag. jud. cap.* 14. unde pluscula verba verba transscribere non pigrabor. *Quando mulier Judæa prægnans est, partusque appropinquat, cubiculum puerperæ decenter præparatur, & rebus omnibus necessariis instruitur. Ante omnia paterfamilias, vel quispiam alius Judæus vitæ sanctimoniâ & pietate insignis, (si modo talis uspiam sub cœlorum convexitate reperiri possit) cretâ acceptâ, in ambitu cubiculi circulum describit in omnibus parietibus, & supra januam tam extrinsecus quam intrinsecus, nec non in singulis parietibus, & circa lectum, Hebrais characteribus sequentia inscribit verba :* אדם חוה חוצלילית, *i. e. Adam, Eva, apage te Lilith; quibus significant, Si gravida puero sit mulier, ei à Deo uxorem, Evæ, non Lilithæ similem, dandam; si verò puellâ, hanc olim marito suo in auxilium futuram, ut Adamo fuit Eva, non autem re-*

fra-

fractariam & inobsequentem, qualem se Adamo prabuit Lilitha. Quippe fingunt Adamum ante Evam, uxorem habuisse Lilitham, quæ cum viro esset immorigera, & hinc crebræ orirentur lites, tandem ab eo aufugit. Miror non addidisse Judæos ex Lilitha potius, quam Eva, natos fuisse Dæmones, quos credunt Adamum genuisse integros illos CXXX. annos, quibus rejectus fuit. Qua de re consule *Hottingerum Hist. Orient. lib. cap. 3. pag.* 23. Quis has Judæorum ineptias non rideat? quibus & illud addimus, quod à quibusdam est traditum, Adamum non tantum cum Lilitha & Eva concubuisse, sed etiam cum omnibus bestiis fœde coivisse. Quamquam sunt, qui hoc à Judæis scriptum esse, negant. Vide *Scherzeri trifolium Orientale pag.* 94. Atque hæc, occasione duûm Terentii locorum sic dicta sunto. A Terentio ad Plautum transimus: à Lucinâ ad Nocturum. *Salmasii l. supra cit.* hæc sunt verba. *Infinitos habuere Deos Romani, quos Palliata repudiat, quia sunt Romanorum proprii, & ab ipsis ficti, non à Græcis accepti vel expressi. NOCTURNUM in his præter decorum nominavit in Amphitruone Plautus.* Locus *Plauti* invenitur *Ampith. Act. 1. S. 1. v.* 115. ubi Sosia hoc pacto fabulatur:

Certe edepol scio, si quicquam est aliud, quod credam, aut certo sciam,
Credo ego hac noctu NOCTURNUM obdormisse ebrium.

Putat Salmaſius Plautum hîc nominare aliquem Deum Græcis ignotum. Mihi ſecus videtur: nam *Nocturnus* non alius eſt à Veſpero. Veneris ſtella cum mane exoritur, Græce Ἑωσφόρος vel Φωσφόρος; Latine *Lucifer* dicitur. Eadem cum veſperi emergit ex radiis Solaribus, ſub quibus interdiu veluti conditur, Græce Ἕσπερος; Latine quoque *Heſperus*, ſeu *Veſper* ſive *Veſperus*, & *Veſperugo* nominatur. Hunc *Heſperum*, quoniam modice calefacit & humectat, uti ad generationem requiritur, generationi olim præfecerunt. Docemur hoc à Porphyrio apud *Euſebium de præp. Euang. lib.* III. *cap.* 11. Vide etiam *Plinium lib.* II. *cap.* 8. Eſt autem *Veſper* nomen ſortitus à Veſpera, quando oritur; niſi malumus veſperam a *Veſpere* eſſe dictam. *Nocturnus* verò appellatur a nocte cujus adventum indicat ortu ſuo; ſicut *Lucifer* diei. Patet etiam ex ipſo *Plauto* Soſiam non loqui de nocte concubiâ; ſed tantum incipiente. Quippe cum jam luceſſere deberet, tantum a die aberat, ut ipſa Veſperugo adhuc ſplenderet. Sic enim Soſia & Mercurius pergunt:

Nam neque ſe Septemtriones quoquam in cœlo commovent,
Neque ſe Luna quoquam nutat, atque uti exorta eſt ſemel:
Nec Jugulæ, neque Veſperugo, neque Vergiliæ occidunt.

Ita statim stant signa: neque nox quoquam concedit die.
MER. Perge, Nox, ut occepisti: gere Patri morem meo.
Optumo optume optumam operam das: datam pulcre locas.

Sic Luciferum opposite ad Nocturnum *diurnam stellam* idem *Plautus* vocat *Menach. Act. I. S. 2.* ubi Menæchmus surreptus his ad Peniculum verbis utirur:

Mihi, tibi, atque illi jubeo jam adparari prandium:
Inde usque ad diurnam stellam crastinam potabimus.

Ut autem nullum dubium relinquatur Nocturnum cum Hespero & Vespere eundem esse, *Papinii Statii Thebaid. lib.* VI. *v.* 238. testimonium adducemus: unde luce meridianâ est clarius, Nocturnum a Lucifero non distingui, nisi quatenus hic mane, ille vespere oritur:

Roscida jam, novies cœlo dimiserat astra
Lucifer, & totidem Luna praevenerat ignes
Mutato Nocturnus equo: nec conscia fallit
Sydera, & alterno deprenditur unus in ortu.

Quare Poëta dixerit, *Mutato Nocturnus equo,* bene explicat celeb. *Vossius de Idol. Gent. lib.* II. *cap.* 31. De hoc Nocturno sive Vespero mirum quid

quid ex Varrone tradit *Augustinus de Civit. Dei lib.* XXI. *cap.* 8. *In cœlo*, inquit, *mirabile exstitit portentum. Nam in stella Veneris nobilissima, quam Plautus Vesperuginem, Homerus Hesperon appellat, pulcherrimam dicens; Castor scribit tantum portentum extitisse, ut mutaret colorem, magnitudinem figuram, cursum quod factum ita neque antea, neque postea sit. Hoc factum Ogyge rege dicebant Adrastes Cycineus & Dion Neapolites Mathematici nobiles.* Verum istud minime portenti loco est habendum, si certum est, hanc stellam, plane adinstar Lunæ, crescere ac decrescere; quin & eclipsin pati, ut à *Vossio* est traditum *l. c.* Hoc unum addimus, Pythagoram primum deprehendisse, unam tantum stellam esse, quæ circa utrumque diei crepusculum fulgeret, testante *Plinio lib.* II. *cap.* 8. cum cæteri antea pro duabus semper habuissent.

CAP. XVIII.

De clepsydris. Ὑδρία. Quot clepsydris hora finiretur. Erasmi error. Causis perorandis non idem semper tempus præscriptum. Orator quando desineret. Floreus Christianus notatus. Aqua in clepsydris sistebatur, & quare. Clepsydrarum varius usus. Rhetores Româ pulsi, & postea in magno honere ibi habiti. Coronati dicere solebant. De Philosophis eadem fere, quæ de Rhetoribus. Varia exempla hominum longævorum.

FActurusne sim operæ pretium, si de Clepsydris aliquid in medium attulerim, equidem non scio. Est ea materia à multis ante me penitus occupata. Vide *Dempsterum Paralip. ad Rosin. lib.* IX. *cap.* 31. *& quos ille citat, imprimis Rhodiginum Antiq. Lect. lib.* XVIII. *cap.* 39. *Etiam Erasmum nostrum Adag. Chil.* I. *Cent.* 5. 73. *& alios immuneros.* Has à Scipione primum Romæ usurpatas ex *Plinio* discimus *lib.* VII. *cap.* 60. Haud dubium est accepisse à Græcis, apud quos in usu eas fuisse, vel unus *Æschines* satis probat *Orat. Cont. Ctesiphont.*: Ἐγχεῖται γὰρ τὸ μὲν πρῶτον ὕδωρ τῷ κατηγόρῳ, καὶ τοῖς νόμοις, καὶ

τῷ

τῇ δημοκρατίᾳ, τὸ δὲ δεύτερον ὕδωρ τῷ τὴν γραφὴν φεύγοντι, καὶ τοῖς εἰς αὐτὸ τὸ πρᾶγμα λέγουσιν. Ἐπειδὰν δὲ τῇ πρώτῃ ψήφῳ μὴ λυθῇ τὸ παράνομον, ἤδη τὸ τρίτον ὕδωρ ἐγχεῖται τῇ τιμήσει καὶ τῷ μεγέθει τῆς ὀργῆς τῆς ὑμετέρας. *Nam prima aqua accusatori, & legibus infunditur ac libertati. Secunda aqua reo, & qui in ipsam rem dicturi sunt. Quod si primo suffragio non soluta fuerit legum violatio, jam tertia aqua infunditur æstimationi mulctæ, & magnitudini vestræ iræ.* Ipsas clepsydras *Guido Pancirollus de Reb. depert. Tit.* 65. hunc in modum describit: *Capiebant vas vitreum, in cujus fundo angustum foramen erat, auro circumdatum, ne ab aquâ consumeretur. In altera vasis illius parte linea recta, duodecim horas inscriptas habens, erat ducta. Postea vas aquâ implebant, quæ per exiguum foramen illud guttatim emittebatur: ipsique etiam aquæ super immittebant, cui hastula seu virgula erat infixa, quæ apice & extremitate suâ primam, mox, emissâ sensim & gustatim aquâ, secundam & tertiam, & alias tangendo monstrabat horas. Atque hæc Græcâ voce clepsydra nominabatur, quasi aquam eam subreptam dicas.* Vide *Hieronymmm Magium de Tintinabulis cap.* 6. Neque κλεψύδρα solùm Græce dicebatur; sed & ὑδρία simpliciter. Audi *Julianum Apostatam Saty. in Cæsares:* Ἐπεὶ δὲ εἴρητο καὶ τούτῳ στρατιωτικώτερος ὁ λόγος, ἐπὶ τὸν Ὀκταβιανὸν τὴν ὑδρίαν ἔφερεν τοῦ Ποσειδῶνος θεράπων, ἐπιμετρῶν αὐτῷ τοῦ ὕδατος ἔλασσον. Hæc *Petrus Cunæus*, vir eruditissimus, sic vertit: *Finierat ille plenam bellici*

lici

lici ſpiritus orationem ; & jam clepſydram ad Auguſtum detulit Neptuni puer, eique parcius aquam affudit. Hujuſmodi clepſydram ſive ὑδρίαν graphice depingit *Apuleius Metam lib.* III. *cir. initium*, his verbis: *Sic rurſum praconis amplo boatu citatus accuſator quidam ſenior exſurgit; & ad dicendi ſpatium vaſculo quodam in vicem colli graciliter fiſtulato, ac per hoc guſtatim defluo infuſa aqua, populum ſic adorat.* Quæ *Pancirollus* tradit non dubito, quin vera ſint : ſed tamen non ita ſæpe de clepſydris, quæ per duodecim horas fluebant, apud antiquos facta eſt mentio. Certe clepſydrarum, quibus in judiciis utebantur, longe brevior effluxus erat. Quippe *tribus clepſydris, aut paullo plus, hora finiebatur*, inquit *Alexander ab Alexandro lib.* IV. *cap.* 20. Hoc colligi poteſt ex *Plinio* juniore *lib.* II. *Epiſt.* 11. *Dixi*, ſunt Plinii verba, *horis pene quinque. Nam decem clepſydris, quas ſpatioſiſſimas acceperam, ſunt addita quatuor.* Quamquam nonnulli hîc legant *duodecim clepſydris*: alii *viginti* : nonnulli XXII. Hinc facile eſt videre *Eraſmi* errorem, qui in *Ciceroniano ſuo*, ſingulis horis ſingulas clepſydras attribuit. *Novem clepſydræ*, inquit, *opinior, reo infundi ſolebant.* Reſpicit enim legem, ex quâ accuſator ſex horas, novem reus olim accipiebant. Vide *Alexandrum ab Alexandro lib.* IV. *cap.* 11. Ex hoc loco itidem colligas omnibus cauſis perorandis non idem & certum ſpatium temporis fuiſſe præſcriptum.

Nam

Nam licet C. Pompejus legem promulgasset, ut uno die atque eodem & ab accusatore, & à reo peroraretur; ita ut horæ duæ accusatori, tres reo daretur: tamen non diu illa lex viguisse videtur. Solebant enim tempus perorandi petere à judicibus, vel majus, vel minus, pro gravitate causæ atque copia: ita tamen ut antiquam legem non, nisi rarissime, excederent; ut discimus ex *Plinio lib.* IV. *Epist.* 9. Audiamus eundem *Plinium lib.* VI. *Epist.* 2. *Postquam obiit ille, increbuit passim & invaluit consuetudo, binas vel singulas clepsydras, interdum & dimidias, & dandi, & petendi.* Et paulo inferius: *Equidem quoties judico, quod vel sæpius facio quam dico, quantum quis plurimum postulat aquæ, do. Etenim temerarium existimo divinare, quam spatiosa sit causa inaudita, tempusque negotio finire, cujus modum ignores: præsertim cum primum religioni suæ judex patientiam debeat, quæ pars magna justitiæ est.* Vide etiam *Martialem lib.* VI. *Epig.* 35. *& lib.* VIII. *Epig.* 7. Imprimis Judices cavebant, ne reo, cui semper magis favent, quid esset, quod quereretur de brevi perorandi spatio. *Quoniam*, inquit *Apulejus Apol.* 1. *mihi pro accusationis longitudine largiter aqua superest, cedo, si videtur, singula consideremus.* Erat autem hoc moris, ut reo spatium concederetur tertiâ parte majus, quam accusatori. Istud observatum videmus in accusatione necis Germanici. *Exin*, inquit *Tacitus Annal. lib.* III. *biduum cri-*

criminibus objiciendis statuitur. utque sex dierum spatio interjecto, reus per triduum defenderetur. Sed redeamus ad Clepsydras. Simulac præstituta aqua effluxisset, necesse habebat orator desinere. *Scholiastes ad Aristoph. Vespas.* Κλεψύδρα ἦν ἀγγεῖον τετρημένον, ἐν ᾧ ὕδωρ ἔβαλλον, καὶ εἴων ῥεῖν ἄχρι τῆς ὀπῆς, καὶ οὕτως ἤκουον τὸν ῥήτορα. *Clepsydra erat vasculum perforatum, cui aqua erat infusa, quam effluere sinebant usque ad foramen: & sic audiebant oratorem.* Ex his verbis perperam intellectis concludit *Floreus Christianus*, Vir ob maxima in rem literariam merita inter Galliæ suæ decora referendus, rhetores aquâ verberari fuisse solitos, si ultra præscriptum tempus nugari pergerent. Vide *Jacobnm Palmerium à Grentemesnil Exercit. in Autores Græcos pag.* 735. de quo Viro posses hoc usurpare *Ausonii:*

—— —— *Quantum cessat de tempore belli,*
Indulget Clariis tantum inter castra Camœnis.

Testem rursus *Plinium lib.* I. *Epist.* 23. advoco: *Ipse cum Tribunus essem, erraverim fortasse, qui me esse aliquid putavi; sed tanquam essem, abstinui causis agendis: primum, quod deforme arbitrabar, cui assurgere, cui loco cedere omnes oportet, hunc omnibus sedentibus stare: & qui jubere posset tacere quemcunque, huic silentium clepsydrâ indici.* Vide ad hunc locum *Catanæum in Notis.* Ne autem aqua nimis cito efflueret, ea sistebatur, si quædam leges essent, aut testimonia recitanda. Clara in hanc rem sunt *Apulei* verba

ba *Apol.* I. *Lege pauca de principio, dein quadam de piſcibus. At tu, interea dum legit, aquam ſuſtine.* Idem patet ex eodem *Apulejo Apol.* II. (diſtinctionis gratia ſic dico; cum re vera una ſit oratio in partes duas minime ſecanda) ubi hoc, tanquam inſolitum, largitur, ut inter legendam epiſtolam aqua fluat. *Cedò tu*, inquit, *Aviti epiſtolas: ut quæ ſemper ornamento mihi fuerunt, ſint nunc etiam ſaluti. At tu, licebit aquam ſinas fluere. Namque optimi viri literas ter quaterque adeo, quantovis temporis diſpendio lectitarem.* Etiam ne adverſarii inter orandum interloquerentur, prohibitum erat; cum interim aqua oranti curreret. Et ideo quidem *Apulejus* adverſario ſuo hoc concedit, tanquam magnum quid & inſolitum: *Cedò pueros iſtos, quibus confiditis produc: nomina, qui ſint: meâ aqua licet ad hoc utare. Dic, inquam, Tannoni. Quid taces? quid cunctaris? quid reſpectas?* Ad eumdem modum Demothenes (ex fide Eraſmi hoc narro: ipſe enim Demoſthenis locus quærenti mihi non occurrit) Æſchinem provocat, ut vel ſuâ aquâ, ſi poſſit; dicat, quod decretum fuiſſet ipſo unquam autore ſcriptum: Ἀνάστηθι, inquit, ἐν τῷ ἐμῷ ὕδατι εἰπάτω. *Surge & dic, meâ ad hoc uſus aquâ.* Neque tantum in foro & judiciis clepſydrarum uſus obtinuit; verum omnibus in rebus, quæ certo & ſtatuto tempore fiebant. Fœdiſſimum iſtud eſt quod apud *Athenæum* legimus *lib.* XIII. *cap.* 3. de meretrice quâdam, quæ *Clepſy-*

Clepſydra dicta fuit, ἐπειδὴ πρὸς κλεψύδραν συνουσιάζειν ἕως κενωθῇ. *quod ad clepſydram ſui copiam faceret, donec aqua omnis extillaſſet.* Igitur habebant olim, qui clepſydras obſervabant, & de rerum agendarum tempore dominos admonebant. *Studiis hiſce dum noſtrûm ſinguli, quique pro ut libuerat, occupabantur: ecce & ab Archimagiro adventans, qui tempus inſtare curandi corpora moneret, quem quidem nuntium per ſpatia clepſydræ horarum incrementa ſervantem, probabat competenter ingreſſum quinta digrediens*, ait *Sidonius Apollinaris lib.* II. *Epiſt.* 9. Magnam proinde utilitatem ex inventis clepſydris Romani Græcique percipiebant. Antea, nubilo cœlo, incertæ fuere horæ uſque ad proximum luſtrum. Nam, ſi ſol non ſplenderet, horologii Solaris uſus erat plane nullus. De hujus inventione vide *Plinium lib.* VIII. *cap.* 60. Audi quæſo, Lector, verſus, quos Favorinus apud *Agellium lib.* III. *cap.* 3. vocat Plautiniſſimos, qui mihi hac occaſione incidunt. In *Bœotia* comædia paraſitus ſic loquitur:

Ut illum D I perdant! primus qui horas repperit,
Quique adeo primus hic ſtatuit Solarium:
Qui mihi comminuit miſero articulatim diem:
Nam, me puero, uterus hic erat Solarium,
Multo omnium iſtorum optimum, & veriſſimum:

Ubi iste monebat esse, nisi quum nihil erat.
Nunc etiam quod est, non est, nisi Soli lubet:
Itaque adeo jam impletum est oppidum Solariis.
Major pars populi aridi reptant fame.

Quæ de clepsydris dixi, ad quas Rhetores olim dicebant, in memoriam mihi revocant de Rhetoribus ipsis quædam addenda. De Rhetorica possumus dicere quod de Grammatica tradit *Suetonius init. Lib. de Illustr. Grammaticis.* Eam olim Romæ ne in usu quidem, nedum in honore ullo fuisse: rudi scilicet ac bellicosa etiam tum civitate, necdum magnopere liberalibus artibus vacante. Exstant vetus senatusconsultum, item censorium edictum, quibus Rhetores urbe pelluntur. Vide *Agellium lib.* XV. *c.* 11. *& Suetonium init. lib. de clar. Rhetoribus.* Paulatim nobilissima hæc ars & utilis ipsa honestaque apparuit: multique eam præsidii causâ, & gloriæ, appetiverunt. Consules, quin & Imperatores Rhetores esse, & causas agere non puduit. Probabant tunc uno ore omnes illud consulis disertissimi:

Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ

Hactenus præclaris facinoribus Romani gloriam quæsiverant. *Optimus quisque*, inquit *Salustius*, *facere, quam dicere; sua ab aliis benefacta laudari, quam ipse aliorum narrare, malebat.* Jam Græcorum eloquentiam aut superabant, aut

certe

certe æquabant. Quare mirum non eſt, ut cæterarum artium profeſſoribus, ita & Rhetoribus immunitatem vacationemque eſſe datam. *Grammatici*, inquit *Modeſtinus L. 6. §. 1. D. de Excuſationibus, Sophiſtæ, Rhetores, medici, qui περιοδευταὶ i. e. circulatores vocantur, quemadmodum à reliquis muneribus, ita & à tutela & cura requiem habent.* Vide etiam §. 15. *Inſt. eodem tit. & C. de Profeſſ. & Medicis.* Quomodò autem Rhetores per fictas cauſas diſcipulos olim erudire conſueverint ex *Seneca* Controverſiis, & *Quintiliani* Declamationibus ſatis patet. Adi ſis quoque *Suetonium init. de Cl. Rhetoribus, & Iſaum Notis ad Lactantium lib.* I. *cap.* 1. Ipſe *Lactantius* fatetur multum ſibi exercitationem illam fictarum litium contuliſſe, ut majori copia & facultate dicendi cauſam veritatis peroraret. Si quando Rhetores in publicum dicturi prodibant, capite coronam geſtabant: cum vero dixiſſent, proxime dicturo eam tradebant. Videturque hoc in more fuiſſe poſitum, ut qui ſæpe cum laude ad populum dixiſſet, jus ei concederetur geſtandæ ſemper coronæ. Vide *Tanaquillum Fabrum Notis in Concion. Ariſtophanis pag.* 997. *& Carolum Paſchalium egregio opere de Coronis lib.* V. *cap.* 5. Nec Athenis tantum; ſed & Romæ hoc uſitatum fuiſſe, ex his *Suetonii* verbis *Vitâ Domit. cap.* 13, videmur colligere: *Sed & Capitolino certamine cunctos ingenti conſenſu precantes, ut Palfurium Suram reſtitueret,*

P 2 pul-

pulsum olim senatu, ac tunc de oratoribus coronatum, nullo responso dignatus, tacere tantummodo jussit voce praconis. De Rhetoribus Græcis plura suppeditat *Petitus Comment. in Leges Atticas pag.* 259. Ab Oratoribus ad Philosophos. De ambobus digna notatu sunt *Lactantii Div. Inst. lib.* I. *cap.* 1. verba : *Nec tam de rebus humanis bene meretur, qui scientiam bene dicendi adfert; quam qui pie atque innocentrr docet vivere. Idcirco majore in gloria Philosophi, quam Oratores, fuerunt apud Gracos. Illi enim recte vivendi doctores sunt existimati : quod est longe præstabilius: quoniam bene dicere ad paucos pertinet; bene autem vivere ad omnes.* Nihilominus Philosophos bis Athenis esse expulsos ex eodem, quem statim nominabam, *Petito* discimus *Comment. in Leg. Attic. pag.* 303. Vide etiam *Athenæum lib.* XIII. *cap.* 9. ubi idem Lacædemone factum fuisse docet. Post longum temporis intervallum id tertiò factum videtur ab Imperatore Justiniano. *Anonymus in Chronico :* (teste *Alemanno Notis in Hist. Arc. Procopii pag.* 106.) Ὁ βασιλεὺς Ἰουστινιανὸς πέμψας εἰς Ἀθήνας ἐκέλευσε μηδένα τολμᾷν διδάσκειν φιλοσοφίαν καὶ Ἀστρονομίαν. *Justinianus Imperator nuntios Athenas misit, qui prohiberent Philosophiam & Astronomiam doceri.* Neque in caussidicos aut Medicos æquior fuit, ut videre est apud ipsum *Procopium Pag.* 113. Apud Romanos etiam Philosophi non semper fuere accepti. Legimus apud *Suetonium & Agellium locis supra cita-*

tatis, hoc ſenatuſconſultum: *Marcus Pomponius Prætor ſenatum conſulit. Quod verba facta ſunt de Philoſophis & de Rhetoribus, de ea re ita ſenſuerunt: Ut Marcus Pomponius prætor animadverteret, curaretque uti è Republica fideque ſua videretur, uti Romæ ne eſſent.* Poſtea quoque *Domitiano imperante*, ut Agellius loquitur, *ſenatuſconſulto ejecti, atque urbe & Italia interdicti ſunt.* Idem teſtatur *Suetonius Vitâ Domit. cap.* 10. Inter hos à Domitiano ejectos *Agellius* ait fuiſſe Epictetum, Philoſophum nobiliſſimum. Quod ſi verum eſt, ut & iſtud ſerviiſſe eum Epaphrodito Romæ, ſub Nerone, vix, ut vulgo putatur, vitam ſuam ad Marcum Antonium potuit extendere. Qua de re *Lipſius Manuduct. ad Stoicam Philoſp. lib.* I. *Diſſ.* 19. dubitare non immerito videtur. *Salmaſius* contrarium ſolidis rationibus probat *Animadv. in Simplicium pag.* 2. Hujus rei miror nihil monuiſſe eum qui nuper nitidam Epicteti editionem cum notis dedit. Quamquam, ut verum fatear, ex ſolo annorum ſpatio nihil ſolidi contra vulgatam opinionem adferri poſſit; Aliquot enim ſingulis ſeculis inventi fuerunt, qui ad plures annos vitam extenderunt. *Torniellus in Annal. Sacris p.* 93. Ex multis auctoribus homines profert, qui trecenteſimum, & multo plures vitæ ſuæ expleverunt annos. Sed horum pleraque ſunt fabuloſa. Vide *Plinium lib.* VII. 48. & *Valerium Maximum lib.* VIII. *c.* 13. Illud multo eſt verius, quod Auctores idonei tradunt, ad centum

& viginti annos perveniri solere: ita tamen ut homines eos nonnunquam excedant. Quare non omnino verum est, quod apud *Trebellium Pollionem in Claudio* legimus *c.* 2. *Doctissimi mathematicorum centum & viginti annos homini ad vivendum datos judicant, neque amplius cuiquam jactant esse concessum: etiam illud addentes, Mosem solum Dei (ut Judæorum libri loquuntur) familiarem, centum viginti quinque annos vixisse: qui cum quereretur quod juvenis interiret, responsum ei ab incerto ferunt numine, neminem plus esse victurum.* Videtur hæc opinio esse hausta ex perperam intellectis verbis *Gen.* VI. 3. ubi non est sermo de annis vitæ hominum datis; sed pœnitentiæ ante diluvium concessis. Qui verò ex veteribus adeo longævi fuerint, ut eam ætatem adipiscerentur. ex *Luciano*, & *Phelgonte Tralliano* discimus, qui utrique de μακροβίοις seu Longævis, non inelegantes conscripsere libellos. Vide *Petrum Fabrum Semest. lib.* I. *cap.* 8. Zosimi cujusdam annum prope vigesimum & centesimum agentis, Imperator *Justinianus* meminit *Novel.* v. *cap.* 2. his verbis: *Hoc quod nuper nobis ex Lycia nuntiavit Zosimus Deo amabilis, vir famosissimus in conversatione, & prope vigesimum & centesimum ætatis agens annum, pollens autem & animi virtutibus, & corporis operationibus: tanta quadam in eo gratia Dei floret.* De Symone Cleophæ filio in *Martyrologio Romano ad diem* XII. *Calend. Martii* sic legimus:

gimus: *Hierosolymis natalis beati Symonis, Episcopi & martyris, qui filius Cleopha, & propinquus Salvatoris secundum carnem fuisse dicitur. Hic Hierosolymorum Episcopus post Jacobum fratrem Domini ordinatus, in persequutione Trajani multis suppliciis affectus, martyrio consummatus est, omnibus qui aderant, & ipso judice mirantibus, ut centum viginti annorum senex crucis supplicium fortiter constanterque pertulisset.* Non multum ab hac ætate abfuisse credo Stephanum de Bonaire, de quo *Scaliger de Emendat. tempo. lib.* VI. *pag.* 603. *Stephanus de Bonaire,* inquit, *vir nobilis Castellaris Dominus, matris meæ magnus Avunculus major sexaginta annorum duxit uxorem. Decessit relicto Stephano nepote, ex filio majore, annorum viginti quinque. Hinc possumus conjicere quid ætatis esset, cum decederet. Accedit miraculo, quod nunquam ægratavit, ne minimo quidem capitis dolore, aut alia* μαλακία *tentatus unquam fuit. Homo abstemius omnium functionum; præterquam solius auditus, integrum tenorem ad ultimam vitæ calcem perpetuavit.* Londinum, celeberrimum Angliæ emporium, hoc seculo vidit Thomam Parrum, qui vitam produxit supra centesimum & quinquagesimum annum. Recens est memoria de duobus viris, quorum alter sexto decimo supra centesimum anno amissum visum recepit: alter Amstelædami obiit, annos natus centum & octodecim, Vide *Ephemerides Halland. edit. sub Nomine Mercurii,*

Annorum 1657. & 1660. De longævis plura exempla suppeditat *Jonstonus de Naturæ Constantia. Prop.* V. *Artic.* 1. & 2. *in fine.* nec non *Jacobus Usserius Armachanus* præsul doctissimus, *Chronol. Sac. Par.* II. *cap.* 12. *circa finem.* Exstat liber, cui titulus, *Histoire memorable de France*, in quo illustres aliquot Viri recensetur, qui admodum fuerunt longævi. Quâ ratione autem brevior ætas longiorve nobis contingat, deque ætatum distinctione, consule *Rhodiginum Ant. Lect. lib.* XIX. *cap.* 21. 22. Sed ne longius præter orbitam divagemur, redibimus ad Philosophos. Diximus eos aliquoties Româ fuisse ejectos. Neque id mirum cuiquam videri debet. Erant enim permulti, qui sub habitu Philosophorum, malos mores & reipublicæ noxias opiniones occultabant. Juvat adscribere *Athenæi* verba *lib.* XIII. *cap.* 9. Καὶ Ῥωμαῖοι δὲ οἱ πάντα ἄριστοι ἐξέβαλον τοὺς σοφιστὰς τῆς Ῥώμης, ὡς διαφθείροντας τοὺς νέους. Ἔπειτ' οὐκ οἶδ' ὅπως κατεδέξαντο. Ἐμφανίζει δ' ὑμῶν τὸ ἀνόητον Ἀνάξιππος ὁ κωμῳδοποιὸς, ἐν Κεραυνουμένῳ λέγων οὕτως,

> Οἴμοι, φιλοσοφεῖς; ἀλλὰ τούς γε φιλοσόφους
> Ἐν τοῖς λόγοις φρονοῦντας εὑρίσκω μόνον.
> Ἐν τοῖσι δ' ἔργοις ὄντας ἀνοήτους ὁρῶ.

Romani omnium omnibus in rebus præstantissimi atque optimi, sophistas, quod juvenes corrumperent, ejecerunt urbe: quâ verò de causâ postea receperint, me latet. Vestram hercle stultitiam satis declarat Anaxippus comicus in Fulgurito, his verbis: Hei mihi! Tune Philosopharis?

At

At ego Philoſophos verbis tantum ſapere animadverto; in factis verò & rebus gerendis inſipientes eſſe. Sunt quippe lingua Philoſophi, ignavâ operâ, ſubleſtâ fide. Hos Epictetus apud *Agellium lib.* XVII. *cap.* 19. dicit eſſe Philoſophos ἄνευ τοῦ πράττειν, μέχρι τοῦ λέγειν. *factis procul, verbis tenus.* Hi licet ſæpe effecerint, ut boni etiam odio eſſent; nihilominus egregia de philoſophis ubique teſtimonia inveniuntur. Ipſum jus Romanum immunitatem vacationemque iis concedit, non ſecus quam artium profeſſoribus & Medicis. Quin etiam hoc addit: *Philoſophorum autem non conſtitutus eſt numerus, quia rari ſunt, qui philoſophantur.* Cæteros, ſi immunitatem conſequi vellent, intra numerum eſſe oportebat. Vide *L. 6. §. 1. 4. 7. 8. D. de Excuſationibus.*

CAP. XIX.

Alexander magnus ſerpente Deo genitus. Jupiter Ammon unde dictus. Vetus commentator in Germanici Aratea phœnomena notatus. Ammon cornutus. Lucanus correctus. Martialis explicatus de ara Apollinis ceratina. Curtius emendatus. Jupiter Ammon non tantum cornibus arietinis; ſed prorſus ut aries toto corpore expreſſus. Arnobius, Minucius Felix, Joſephus Scaliger, & Jacobus Ouzelius notati. Alexandri ſucceſſores cornuti. De ipſo Alexandro, quare cornutus fingatur, variæ ſententiæ. Cornuum varia ſignificatio. Politiani error. Scaliger reprehenſus. De Baccho, & cur ipſe cornutus. Locus Exo. XXXIV. *v.* 29. *explicatus de Moſe cornuto. Unde originem habeant umbellæ lunatæ circum caput Sanctorum. Equus Alexandri cur dictus Bucephalus. Equi inuſto ſigno notati. Ariſtophanes explicatus.* Βε *particula augens. Alexander in magno honore ſemper habitus. Turcarum de*

de Alexandro error. Julianus se credidit Alexandrum. Calceis adjunctæ Alexandri effigies

QUod mihi aliquando accidit, id ne imperitioribus accidere possit, haud abs re vereor. Videbam Alexandri Macedonum Regis faciem cornutam, quæ Curtii editionibus præponi solet; nec quid illa cornua sibi vellent, sciebam. Verùm incidit statim, quod apud varios scriptores legimus Olympiadem Alexandri matrem, rumorem sparsisse, quasi Alexander genitus esset à serpente, quem Jupiter induerat. Eleganter hoc versibus extulit *Sidonius Apollinaris Car.* II. *v.* 121,

Magnus Alexander, nec non Augustus, habentur
Concepti serpente Deo: Phœbumque, Jovemque
Divisere sibi: namque horum quæsiit unus
Cynisia sub Scyrte patrem maculis genetricis.
Alter Phœbigenam sese gaudebat haberi,
Pæonii jactans Epidauria signa draconis.

Huc idem *Sidonius* respicit *Car.* IX. *v.* 46,

Non prolem Garamantici Tonantis,
Regnis principibusque principantem,
Porrectas Asiæ loquar paterno
Actam fulmine pervolasse terram.

Nec

Nec non *Silius Italicus Lib.* XIII. *v.* 766.

Incipit Æneades: Lybici certissima proles
Hammonis, quantò exsuperat tua gloria cunctos
Indubitata duces?

Credo hoc ab Olympiade factum, ut adulterium suum, sive cum Nectanebo, sive cum alio commissum, sic occultaret. Sed quid hoc ad cornua? inquies. Nemini ignotum est Jovem Ammonem frontem habuisse arietinam, & tempora cornuta. Unde Ammonis cognomen Jovi adhæserit ex sua & suorum sententia docet *Hyginus Fab.* CXXXIII. *& Astron: Poët. Lib.* II. *Cap.* 20. quem auctorem nuper adeò, Clarissimi Viri *Joannes Schefferus & Thomas Munkerus* notis suis illustrarunt. Vide etiam *Commentatorem in Germanici Aratea Phœnomena*, qui tamen in eo videtur errare, quod ipsum arietem, qui Libero aquam præmonstraverat, Jovem Ammonem ab eo appellatum fuisse asserat, illique magnificum constructum fuisse fanum. Est quidem aries, petente Baccho, à Jove in astrorum numerum relatus; sed ipsum arietem dictum fuisse Jovem Ammonem nusquam legimus. Verum melius sentiunt qui Ammonis etymon ex Oriente petunt. Apud Hebræos enim Sol חמה dicitur à Calore. Jovem autem non alium esse à Sole certissimum est, & nos alibi ostendimus. Vide *Macrobium Lib.* I. *Saturn. Cap.* 23. *& Ouzelium ad Minutium Felicem pag.* 32.

Ab

Ab his non valde diſſentiunt, qui Ammonem cum Chamo eumdem eſſe ſtatuunt. A Chamo Ægyptii Ἀμῶν, Græci Ἄμμων fecere. Hic Ammon dicitur cornutus, quod pellem capitis bubuli cum cornibus pro galea habuerit. Vetuſtiſſimis enim temporibus galeæ fiebant ex pellibus mutorum animantium, Minime tamen falſi videntur iſti, qui Ammonis cornua referunt ad potentiam Chami, & regni ejus, quod poſteri obtinuerunt: vel ad radios Solares. Notatu digna ſunt *Macrobii* verba *Satur. lib.* I. *cap.* 21. Sunt autem ejuſmodi: *Ideo & Ammonem, quem Deum Solem occidentem Libyes exiſtimant, arietinis cornibus fingunt, quibus maxime id animal valet, ſicut Sol radiis.* Nec aliam eſſe rationem puto, quare Serapis & Iſis cum cornibus arietinis in gemmis quibuſdam apparent, quas videre eſt apud *Pignorium de Menſâ Iſiacâ cap.* 1. De Serapi eodem cum Sole iterum audiamus *Macrobium Satur. lib.* I. *cap.* 20. *Eidem Ægypto adjacens civitas, quæ conditorem Alexandrum Macedonem gloriatur, Serapin atque Iſim cultu penè attonitæ venerationis obſervat: omnem tamen illam venerationem, Soli ſe ſub illius nomine teſtatur impendere.* De Ammone vide *Voſſium de Idol. Gent. lib.* I. *cap.* 27. *& lib.* II. *cap.* 11. *Fullerum Miſcel. Theol. lib.* II. *cap.* 4. *ac Peucerum de Divinationibus pag.* 226. Præter jam dictas rationes, cur Jovi Ammoni cornua affingantur, hæc quoque dari poteſt minime

ſper-

ſpernenda, quæ eſt apud *Servium in* IV. *Æneid. Jovi*, inquit *Ammoni templum cum ſimulacro cum cornibus conſtitutum : quod ideo fingitur, quod ſatis ejus ſunt involuta reſponſa.* Non diſſimili de causâ Apollo Λοξίας ab *Ariſtophane Init. Pluti* dicitur, ut bene obſervavit *Voſſius loco ſup. cit.* quamquam alias cognominis Λοξίου rationes reddit, quem ſæpe citamus, *Macrobius Satur. lib.* I. *cap.* 17. Erant nimirum Ammonis atque Appollinis oracula certa quidem; ſed verbis tortis flexiſque, inſtar arietinorum cornuum. Apud *Arrianum de Expedit. Alex. lib.* III. *non longe ab initio* de Ammonis oraculo hunc in modum legimus: Ἐπὶ τούτοις δὲ πόθος λαμβάνει αὐτὸν ἐλθεῖν παρ᾽ Ἄμμωνα ἐς Λιβύην, τὸ μέν τι τῷ θεῷ χρησόμενον, ὅτι ἀτρεκὲς ἐλέγετο εἶναι τὸ μαντεῖον τοῦ Ἄμμωνος, καὶ χρήσασθαι. *Dein cupido eum cepit adeundi Ammonem Lybicum, ut oraculum conſuleret, quod ferebatur eſſe certiſſimum.* Quare iſtud oraculum fidei inclytæ dictum eſt à *Pom. Mela lib.* I. *cap.* 8. Quin ab Ammone dicta gemma divini quid habet, ſi *Plinio* credimus *lib.* XXXVII. *cap.* 10. *Hammonis*, inquit, *cornu inter ſacratiſſimas Æthiopiæ gemmas, aureo colore, arietini cornus effigiem reddens promittitur prædivina ſomnia repræſentare.* Hinc facile viderimus, quare Jovem Ammonem *certiorem* Lucanus vocet *lib.* IX. *v.* 514.

Ventum erat ad templum, Lybicis quod gentibus unum

In-

Inculti Garamantes habent: stat certior illic
Jupiter, ut memorant; sed non ut fulmina vibrans,
Aut similis nostro, sed tortis cornibus Ammon.

Ita quidem hos Lucani versus ex membranis suis emendat *Isaacus Vossius*, Vir Clarissimus, quem vide *Pompo. Melam pag.* 33. Vulgo legitur *stat corniger illic*, quod ineptum hoc loco, cum sequatur statim, *sed tortis cornibus Ammon.* Ad hoc Ammonis templum *Nicolaus Perottus*, aliique respicere putant *Martialem Epig. omnium primo*:

Nec Triviæ templo molles laudentur honores,
Dissimuletque Deum cornibus ara frequens.

Sed hæc potius accipienda de arâ Apollinis in Delo, quæ inter septem orbis miracula celebratur. Erat enim sine ullo glutine aut vinculo ex dextris cornibus coagmentata, atque compacta. Vide doct. *Politianum Miscell. cap.* 52. *Dempsterum Paralip. ad lib.* II. *Antiq. Rosini cap.* 7. *nec non Virum Nobilissimum Joannem Passenrodium, Libro nuper Belgice edito, de Militia Græca & Romana, lib.* VI. *cap.* 3. quo quidem in libro multa insunt bona; sed non nulla quoque ingenii nimium festinantis indicia. Non multum cornutæ huic aræ dissimilis est illa turris, ex capitibus cornibusque sylvestrium quorundam ani-

malium compacta, de qua videre licet *Petrum della Valle Itiner. Part.*II. *C.*21. Ipsius Ammonis descriptionem habemus apud *Curtium lib.* IV. *cap.* 7. his verbis: *Id quod pro Deo colitur, non eandem effigiem habet, quam vulgo Diis artifices accommodaverunt. Umbilico maxime similis est habitus, smaragdo & gemmis coagmentatus. Hunc, quum responsum petitur, navigio aureo gestant sacerdotes; multis argenteis pateris ab utroque navigii latere pendentibus. Sequuntur matronæ virginesque patrio more inconditum quoddam carmen canentes, quo propitiari Jovem credunt, ut certum edat oraculum.* Omninò videnda sunt, quæ ad hunc locum *in Commentariis suis* erudite scribit *Freinshemius*, cui viro propter multa merita res literaria immensum debet. Tamen ne is quidem animadvertit, vitium apud Curtium latere. Hoc quale sit *I. Vossius* docet *l. sup. c.* Quippe sic ait esse legendum: *Umbriculo similis est. Habitus smaragdo & gemmis coagmentatus.* Ab umber fit umbriculus, ut à venter ventriculus. Quinam sint umbri ex *Plinio* discimus *lib.* VIII. *cap.* 49. *Est in Hispania, sed maxime Corsica, non maxime absimile pecori, genus musmonum, caprino villo, quam pecoris velleri, propius. Quorum è genere & ovibus natos prisci Umbros vocarunt.* Umbri autem formâ Jupiter in nummis visitur, sive, quod eodem redit, arietis. Vide *Cecropii votum à Philippo Thomasino explicatum cap.* 5. Errant igitur, qui putant

putant Ammonem præter cornua nihil arietis habuisse. Hos inter numerandus est *Arnobius lib.* VI. *pag.* 198. ut recte ex his verbis colligimus: *Consimili rursus translatione si nudo Jovi cornua detrahat, & Martis temporibus affigat, Martem armis spoliet, & his rursus circumcludat Hammonem, interstitio fieri qua poterit singulorum, cum qui Jupiter fuerit, idem possit existimari Mars esse, & qui Mavors fuerat, subintroire speciem Iovis possit Hammonis?* Neque aliud *Minucium Felicem* sensisse crediderim, cum scriberet *pag.* 23. *Quid ipse Iupiter vester? modo imberbis statuitur, modo barbatus locatur: & cum Hammon dicitur, habet cornua; & cum Capitolinus, tunc gerit cornua; & cum Latialis, cruore perfunditur; & cum Feretrius, non auditur.* Posset tamen aliter sensisse videri, cum diceret *pag.* 32. *Item boum capita, & capita vervecum, & immolatis, & colitis.* Sed quicquid sit de Minucio Felice, istud certum est, multos ex recentioribus existimasse, Ammonem præter cornua arietina, cætera habuisse hominis. In his est *Scaliger de Emendat. Temp. lib.* V. *pag.* 425. Scribit ibi hoc pacto: *Postquam ille (Alexander) pedem extulit ex oraculo Ammonis, ex eo tempore Cyrenæi, qui Iovem cornutum in nummismatis suis sculpebant, cæperunt pro Iove cornuto Alexandrum cornutum in illis cudere. Utriusque formæ numismata subiciemus, in quibus vide vetustiorem nummum vultu Iovis*

 cornuti

cornuti & barbati percussum : recentiorem autem vultu Alexandri cornuti & imberbis. Tum utrumque nummum subjicit. Sed unde probabit vetustiorem Jovis præ se ferre effigiem? Similem vel eumdem plane idem *Scaliger* adducit *Animadvers. ad Robert. Titium*, testante hoc *Ouzelio Animadvers. ad Manucium Felicem*, quem doctissimum virum miror haud vidisse Scaligeranum istum nummum nihil quicquam ad Ammonem pertinere. Interim multa de Ammone habet scitu dignissima *pag.* 119. *& seqq.* Ego omnino credo, effigiem esse regis alicujus, cui Cyrenæ subditæ fuerunt. Illos, ut & omnes Alexandri successores κερατοφόρους fuisse, nisi rerum imperito, ignotum est nemini. Quem præclaris facinoribus æmulari neque volebant, neque poterant, cornuum istac similitudine æmulati sunt. Hanc in annulo vidit *Casaubonus*, de quo scribit *ad Scaligerum Epist.* 445. *Edit. Hag.* his verbis: *Vidi & alium annulum hisce diebus, inquo sculptum erat caput hominis arietinum cornu gestantis. Simul vidi, venerunt in mentem, quæ de Alexandri appellatione Arabica à te didiceram. Sed negabant periti harum rerum, eam esse faciem Alexandri : Philippum ipsi indigetabant. Tu quid censes? nam ecce & illius exemplum.* Cur eam Alexandri esse faciem negaverint, barbam credo in causa fuisse. Quomodo vero Philippi esse potuerit, si Alexandri Patrem intelligimus, plane non intelligo : nam eum cornutâ

facie

facie unquam expressum parum profecto sit verisimile. Sed ad ipsum Alexandum jam veniamus. Is non tantum cornutâ facie in nummis visitur; sed etiam apud Arabes, *Dul-karnain*, id est, *Bicornis* vulgo appellatur. Quæ sit ejus cognominis ratio, non in promptu est dicere, propter scriptorum discrepantiam. Vide Cla. *Hottingerum Hist. Orient. lib.* I. *cap.* 3. *pag.* 108. Sunt, qui causam petant à cirris seu cincinnis & crobylis utrimque in cornuum formam acuminatis atque retortis. Istiusmodi cirris spectabiles incedebant sacerdotes Lydii & Armenii. Quo multi etiam referunt Mosis cornua, de quibus mox plura sumus dicturi. Idem esse vocabulum, quo Arabes & cornu & capillum exprimunt in *Lexico suo* docet *Iac. Golius.* Apud Græcos quoque cornua pro capillis posita inveniri, testatur *Cælius Rhodiginus Antiq. Lect. lib.*XXX. *c.*1. Sed non videtur hæc esse ratio, cur Alexander *bicornis* dicatur, & facie fingatur cornutâ. Eum voluisse haberi Jovis Ammonis filium, satis ex iis, quæ diximus, patet. Hac de re sic *Curtius lib.* IV. *cap.* 7. *Sed ingens cupido animum stimulabat adeundi Iovem, quem generis sui auctorem, haud contentus mortali fastigio, aut credebat esse, aut credi volebat.* Et paulo inferius: *Iovis igitur filium se non solum appellari passus est; sed etiam jussit; rerumque gestarum famam, dum augere vult, tali appellatione corrumpit.* Vide *Freinshemium Comment. ad h. l.* Quam festive hunc

filii sui fastum riserit Olympias, ex *Agellio* discimus *lib.* XIII. *cap.* 4. Scitum est quod de Lacedæmoniis refert *Ælianus Hist. var. lib.* II. *c.* 19. Scripserat Alexander ad Græcos ut se puplico decreto inter Deos referrent: satis quidem stulte. Itaque Lacedæmonii decretum ejusmodi fecerunt: Ἐπειδὴ Ἀλέξανδρος βούλεται Θεὸς εἶναι, Θεὸς ἔστω. Λακωνικῶς τι ἅμα καὶ κατὰ τὸν ἐπιχώριον σφίσι τρόπον, ἐλέγξαντες τὴν ἔμπληξιν οἱ Λακεδαιμόνιοι τοῦ Ἀλεξάνδρου. *Quoniam Alexander Deus esse vult, esto Deus. Hoc pacto Lacedæmonii simul Laconice & patrio more stuporem & vecordiam Alexandri redarguebant.* Quoniam igitur Alexander Jovis filius haberi volebat, arietina etiam cornua adsumpsit, & jussit (ut non nemo ait) se κεραοφόρον ἀναπλάττεσθαι πρὸς τῶν ἀγαλματοποιῶν, *cornutum fingi à statuariis.* Huc alludit Vir Cl. *Daniel Heinsius* istis versiculis, qui cornutæ faciei Alexandri solent à non nullis subscribi:

Εἶδος Ἀλεξάνδρου τόδ' ἔην, κόσμοιο τρόπαιον.
Ἐκ γενεῆς, θνητῶν τοῦ Διός. ἐκ κεράτων.

Alexandri hæc erat facies, mundi tropæum: ex genere mortalium; sed ex cornibus Iovis filius. Non est tamen eorum rejicienda sententia, qui putant Alexandrum dici fingique cornutum, quia ad extremos mundi fines victricia arma extendit, & Orientis atque Occidentis imperium occupavit. Cornu autem pro fine aut extremitate non raro sumi, docet sæpius citatus *Freinshemius Ind. Curtiano.* Vide etiam *Buxtorfii Lexicon*

Talmud. Colum. 2140. Sed omnium rectiſſime iſti opinantur, qui ſtatuunt Alexandro cornua tribui propter fortitudinem, & maximam in bello felicitatem. In Sacris literis cornua ſæpe potentiam, virtutem, gloriam, fortitudinem, quin & regnum deſignare ex locis quam plurimis patet. Vide *Glaſſium Philol. Sac. pag.* 1267. *& Feſſelium Adverſ. Sac: lib.* IX. *cap.* 2. *§.* 23. Hinc ipſi Deo per metaphoram cornua tributa legimus 2 *Sam.* XXII. 3. *Pſal.* XVIII. 3. Eſt autem ea metaphora ſumpta à quibuſdam brutis, quorum omne robur & vis in cornibus ſita eſt. *Conſtat*, inquiunt *Hottingerus & Ouzelius locis ſup: citatis, ex communi linguarum Orientalium uſu, vocabulum* קרן *i. e. cornu pro fortitudine, incolumitate, felici proſperoque rerum ſucceſſu, ſumi: Imo ſunt apud Talmudicos* קרנו מלחמה *i. e. CORNUA BELLI, ipſi belli duces.* Unde cum in capite Genucii Cipi Prætoris ſubito veluti cornua emerſiſſent, reſponſum fuit, Regem eum fore ſi in urbem revertiſſet, referente *Valerio Maximo lib.* V. *cap.* 6. Vide *Henricum Salmuth. ad Pancirollum de Reb. Deperditis Tit.* 45. *& Carolum Paſchalium de Coronis lib.* X. *cap.* 4. Apud Phœnices cornua fuiſſe regium inſigne, ex Euſebio docet Cla. *Pignorius de Menſa Iſiaca pag.* 30. Fluvios quoque, taurinis cornibus inſtructos antiquitus fuiſſe cultos, idem ille *Pignorius* tradit. Nullus dubito, quin hoc factum fuerit ad denotandam maximam vim ra-

rapiditatemque Fluviorum : quam eleganter *Virgilius* describit *Æneid. lib.* II. *v.* 305.

— — — Rapidus montano flumine torrens
Sternit agros, sternit sata læta, boumque labores,
Præcipitemque trahit silvas : stupet inscius alto
Accipiens sonitum saxi de vertice pastor.

Tybrim cornigerum appellatum legimus apud eumdem *Virgilium Æneid, lib.* VIII. *v.* 77.

Corniger Hesperidum fluvius regnator aquarum,
Adsis ô tandem, & propius tua numina firmes.

De fluviis cornigeris vide porrò *Turnebum Advers. lib.* XXIV. *cap.* 40. De Seleuco, unde Seleucidarum genus incepit, quod ducentos & septuaginta per annos Syriæ imperavit, traditur, quod statuæ ei positæ fuerint affixis cornibus. Ita quippe *Appianus in Syriacis*. Καὶ τῷ σώματι ὄντι (Σελεύκῳ) ἰσχυρῷ τε καὶ μεγάλῳ, καὶ ταύρου ἀγρίου ἐν Ἀλεξάνδρου θυσίᾳ ποτὲ ἐκθορόντα τῶν δεσμῶν ὑποστάντι μόνῳ, καὶ ταῖς χερσὶ μόναις κατεργασαμένῳ, προστιθέασιν ἐς τοὺς ἀνδριάντας ἐπὶ τῷδε κέρατα. *Et quia vasto robustoque fuit corpore, adeo ut taurum ferocem, sacrificante Alexandro ex vinculis profugum, solus cornibus arreptum retinuerit manibus, affingunt ejus statuis cornua.* Hoc

Hoc perperam Lyſimacho tribuit *Angelus Politianus Miſcell. cap.* 79. Quod hanc ob cauſam moneo, ne quis Viri magni auctoritate ſibi patiatur imponi. Neque minus fallitur *Ioſephus Scaliger lib.* V. *de Emend. Temp. pag.* 426. qui putat Politianum, ſive Lyſimachum, ſive Seleucum pro Alexandro, accepiſſe. Nam Orientales illi reges non tantum in honorem Alexandri Alexandrum ipſum cornutâ ſpecie nummis ſuis imprimebant: verum etiam ſuam ipſius propriam, cornibus itidem ornatam. Sic metus ille orbis, Deique flagellum Atyla, cornutus etiam in nummis viſitur. De Baccho cornuto res eſt omnibus notiſſima. *Horatius lib.* II. *Od.* 19. de eo ſic canit:

Te vidit inſons Cerberus aureo
Cornu decorum, leniter atterens
Caudam, & recedentis trilingui
Ore pedes, tetigitque crura.

Et *Sidonius Apollinaris Car.* XXII. *v.* 25.

Marcidus ipſe ſedet curru, madet ardua cervix
Sudati de rore meri: caput aurea rumpunt
Cornua, & indigenam jaculantur fulminis ignem.

Sunt, qui credunt Baccho cornua à Poëtis eſſe affićta, quod primus terram junctis bobus excoluit. Alii, quod Bacchi liquor vim viris addit

& ad pugnam exstimulat, juxta illud *Horatii Epist.* V.

Quid non ebrietas designat? operta recludit:
Spes jubet esse ratas; in prælia trudit inermem.
Sollicitis animis onus eximit: addocet artes.

Hinc Bacchum nunc cum tauro comparant, nunc cum Antherâ. vide *Athenæum lib.* II. *cap.* 2. Certe de Baccho narrant Græci, fuisse eum valde pugnacem, & Indos devicisse. Quare primus triumphum instituit, ipseque triumphavit, ut videre est apud *Diodorum Siculum lib.* V. *cap.* 2. Huc alludunt *Sidonius l. c.*

Corriger inde novi fit Ganges pompa triumphi,

nec non *Ovidius lib.* III. *Fast. v.* 729.

Te memorant Gange, totoque Oriente subacto,
Primitias magno seposuisse Iovi.

Scimus antiquos bibere solitos ex cornibus, quem morem fabulæ de cornuto Baccho originem dedisse, valde est verisimile. Clara sunt in hanc rem *Athenæi* verba *lib.* XI. *cap.* 7. Τοὺς πρώτους λέγεται τοῖς κέρασι τῶν βοῶν πίνειν. Ἀφ' οὗ τὸν Διόνυσον κερατοφυᾶ πλάττεσθαι. ἔτι τε ταῦρον καλεῖσθαι ὑπὸ πολλῶν ποιητῶν. *Primos homines fama est olim cornibus bubulis bibisse. Quare cum cornibus fingitur, & à multis Poëtis Bacchus taurus cognominatur.* vide *Cælium Rhodiginum Antiq. Lect. lib.* XXX. I. Potuit quoquoque cornutus dici à mitrâ, cornuto capitis ge-

gestamine, quam & Sacerdotibus Ammonis in usu fuisse constat. Consule *Paschalium de Coronis lib.* IV. *cap.* 21. *&* *Anselmum Solerium de Pileo Sect.* XIII. *pag.* 289. Sed cum Bacchus plane idem sit, qui Sol, haud absurdum est, per cornua radios Solares intelligere. Sic Solem sive Apollinem in nummis sæpissime videmus radiis coronatum : unde mos regibus manavit, radiata diademata gestandi. Est enim regibus maxima cum Sole convenientia. Hodie radiatam coronam vix quisquam usurpat, præter magnum Hetruriæ ducem, cui hoc à Pio V. Pontifice Romano esse concessum ferunt. Adi, quem jam bis terve citavimus, *Paschalium de Coronis lib.* IX. *cap.* 13. 14. 15. Bacchum autem non alium esse à Sole, prolixe probat Cl. *Vossius de Idol. Gentili lib.* II. *cap.* 14. Interim negandum non est, in Baccho Noachum esse cultum. Quid, quod multi ex Noacho Bacchum esse dictum volunt. vide *Anonymum Observat in Mythologiam Natalis Comitis in Baccho.* Hos tamen refellit *Vossius de Idol. Gent. lib.* I. *cap.* 19. Consule etiam *Edmundum Dickinsonum Delph. Phæniciz. c.* 10. & de quibusdam Bacchi cognominibus *Ælian. Hist. Var. lib.* III. *c.* 41. *ac Ovidium init. lib.* IV. *Metam.* Quam multa autem in Sacris literis de Mose prodita, Ethnici ac Bacchum retulerint, ostendunt *Beyerus Additam* : ad *Seldenum de DIs Syris p.* 70. *&* *Vossius de Idol. Gent, lib.* I. *c.* 30. Proinde nullum mihi est dubium, quin opinio de cornibus

Bacchi ex eo profecta fuerit, quòd radii de Mosis vultu relucentes cornuum præberent imaginem, ut colligere est ex *Exod.* XXXIV. 29. ומשה לא־ידע כי קרן עור פניו: Hoc Septuaginta Græci Interpretes sic vertunt: Καὶ Μουσῆς οὐκ ᾔδει ὅτι δεδόξασται ἡ ὄψις τοῦ χρωτὸς τοῦ προσώπου αὐτοῦ. *Et Moses ignorabat glorificatum esse adspectum cutis faciei suæ.* Neoterici Interpretes Latini, diversis quidem verbis, sed ad eumdem sensum transferunt fere omnes. Mihi autem maxime placet *Leo Juda*, (cujus versio Vatablo ab imperitis adscribitur, ut recte docet *Arnoldus Bootius Animad. Sac. in Indice sub nomine Stephani*) vertens hoc modo: *Moses autem nesciebat, quod radios ejacularetur cutis faciei ejus.* Quorum quidem verborum non opus est aliunde interpretationem quærere, quam ex his Apostoli verbis. 2 *Cor.* III. 7. 8. Εἰ δὲ ἡ διακονία τοῦ θανάτου ἐν γράμμασι, ἐντετυπωμένη ἐν λίθοις, ἐγενήθη ἐν δόξῃ, ὥστε μὴ δύνασθαι ἀτενίσαι τοὺς υἱοὺς Ισραὴλ εἰς τὸ πρόσωπον Μοσέως, διὰ τὴν δόξαν τοῦ προσώπου αὐτοῦ, τὴν καταργουμένην. Πῶς οὐχὶ μᾶλλον ἡ διακονία τοῦ πνεύματος ἔσται ἐν δόξῃ; *Quod si administratio mortis in literis, insculpta in lapidibus, fuit in gloria, adeò ut filii Israëlis non poßent oculos intendere in faciem Mosis, propter gloriam vultus ejus, quæ aboletur: cur non potius administratio spiritus erit in gloria?* Locum autem *Exodi*, quem citavimus, Vulgatus Interpres ita transtulit: *Ignorabat quod cornuta esset facies sua.* Καλῶς, καὶ καλῶς Nihil enim aliud his verbis voluit, quam faciem

Mosis

Mosis cornuum instar radios emisisse. Est quippe קרן radiare, sive radios cornuum instar ejaculari, seu emittere. Cornua pro radiis vel splendore usurpata legimus apud Prophetam *Habacucum cap.* III. *v.* 4. *Splendor ut Lux fuit, cornua è manibus ejus erant ei.* Interim negandum non est, vulgatam versionem nuperitioribus errandi dedisse occasionem. Quis non ridet, cum cernit Mosem cum cornibus effictum, pictumque? Digna res, propter quam Judæi Christianos subsannent. Tu vero, erudite Lector, præter commentatores, adi *Sixtinum Amamam Antibar. Biblico, Thomam Brouwnum Pseudodox. Epidem: lib.* V. *cap.* 9. & *Paschalium de Coronis lib.* X. *cap.* 4. A radiis Mosis petitam esse existimo lunatam illam umbellam quam pictores Christo, sanctisque vulgo attribuunt. Alii tamen aliter sentiunt. *Laurentius Pignorius de Mensa Isiaca pag.* 46. scribit hunc in modum: *Maxime nobilis fuit orbis quidam capiti aliquando circumscriptus, venerationis index & majestatis, qua humanam excederet; hunc ego Imperatoribus, quos Veteres supra fastigium mortalitatis elatos suspiciebant, Provinciis orbis Romani, Urbibus primariis, animalibus etiam Deorum circumpositum notavi.* Et paucis interjectis: *Hunc orbem Ægyptii in summo capite simmachrorum suorum locabant. Ab illis Romanos sumpsisse licet suspicari; & variasse, habitâ decoris ratione, quod capiti, cui divinum quid inesse putabant, eo situ*

situ corona aptaretur. Qui tamen ornatus insequentium principum moderatione, & tacito omnium consensu, Deo & sanctis ejus, ut alia pleraque, in totum cessit, & antiquum diadematis nomen in hodiernum diem retinuit. Quippe, ut non nemo ait, prædictum morem pie æmulata est ecclesia, Sanctorum capitibus radios aut coronas superponens. Neque enim refugit ecclesia, sicubi deprehendit inter sordes ethnicismi aliquid honestum & utile, exprimere illud imitatione, vel potius ab iniquis possessoribus repetere ea, quibus illi abutuntur, & in usum pium convertere. Is autem orbis, vel umbella, de quâ loquimur, Græcis μηνίσκος dicitur à Lunâ, quæ Μήνη vocatur, ὅτι μειώσης εἰς ἄκρον τῆς σελήνης πληρῦται ὁ μήν· *Quoniam diminutâ ad summum lunâ, impletur mensis.* Ut Sol cursu suo annum, ita Luna menses, è quibus constat annus, suis circuitionibus conficit. Latini *nimbum* appellant. Clarissime hoc patet apud *Virgilium Æneid, lib.* II. *v.* 615.

Jam summas arces Tritonia, respice, Pallas
Insedit, NIMBO effulgens, & Gorgone sævâ.

Ad quem locum vide *Servium* : ut & ad illum *Æneid.* III. *v.* 587.

Et Lunam in NIMBO nox intempesta tenebat.

Apud

Apud eumdem, ni fallor, *Virgilium*, & alios ex autoribus classicis, is μηνίσκος etiam *umbo appellatur*. Exstant in nummis varii Imperatores Romani, caput circumdati istiusmodi nimbo, ut Antonius, Constantins, Justinus, Justinianus, & plures alii. Cum his, quæ diximus, non bene convenit *Josepho Scaligero*. Is quippe statuit, umbellam illam lunatam, quæ capitibus Sanctorum adpingitur, aliam omnino originem habere. Sic enim *Comm. in Append. Virgilii p.* 211. ad hos Tibulli versus:

At, ô Priape, sape floribus novis
Tuas sine arte deligavimus comas,
Abegimusque voce sape, cum tibi
Senexve corvus, impigerve graculus
Sacrum feriret ore corneo caput.

Sic enim, inquam, ad hos versus scribit: *Idcirco* μηνίσκοι *imponebantur statuis, ne ab avibus conspurcarentur. Hi* μηνίσκοι *adhuc, hodieque in templis Christianorum imponuntur capitibus statuarum. Cujus tamen rei causam ignorantes pictores, dm putant honoris causâ imponi debere, non solum omnibus statuis imponunt; sed & imaginibus quoque pictis adhibuerunt, quæ tamen illis opus non habent, ut statuæ.* Hæc totidem verbis descripsit *Henricus Salmuth ad Pancirollum de Rebus deperd. Tit.* XLIV. *Pag.* 179. Videmus non rarò ethnicis exprobratam fuisse à Christianis simulachrorum fœdidatem per avium stercora. *Lactantius lib.* II. *cap.* 4. dicit ironice:

Fures

Fures enim tam stulti sunt, ut Priapi tentiginem timeant; cum aves ipsæ, quas terrore falcis, aut inguinis abigi existimant, simulacris fabrefactis, id est, hominum plane similibus, insideant, nidificent, inquinent. Sed ut ut hæc sunt, *Scaligeri* sententiam nequaquam concoquere potuit *Anselmus Solerius*, quem vide sis *tract. de Pileo Sect.* XIII. Atquæ hæc quidem hactenus. Jam ad Alexandrum revertendum est, ubi de ejus equo Bucephalo non nulla addiderimus. Ut de cornibus Alexandri, ita de hujus equi nomine variè sentiunt eruditi. Communis fere est sententia ita dictum fuisse à capite bovino, quod frontem bovis instar haberet latissimam. *Equus Alexandri regis*, inquit *Agellius lib.* V. *c.* 2. *& capite & nomine Bucephalus fuit.* Aliter tamen *Plinius lib.* VIII. *cap.* 42. qui ita dictum vult, vel ab aspectu torvo, vel ab insigni taurini capitis armo impressi: *Arriani lib.* V. *de Expedit. Alexandri* hæc sunt verba. Σημεῖον δὲ οἱ ἦν βοὸς κεφαλὴ ἐγκεχαραγμένη, ἐφ᾽ ὅτῳ καὶ τὸ ὄνομα τοῦτο λέγουσιν ὅτι ἔφερεν. Οἱ δὲ λέγουσιν ὅτι λευκὸν σῆμα εἶχεν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς, μέλας ὢν αὐτός, ἐς βοὸς κεφαλὴν μάλιστα εἰκασμένον. *Nota ei insignita erat, bovis caput, cujus etiam causâ nomen ei Bucephalo inditum est: vel quod, ut aliis placet, cum ipse nigri coloris esset, albam in capite notam haberet, bovis capiti perquam similem.* His plane gemina tradit *Hesychius*, non ignobilis grammaticus Βουκέφαλος, ἵππος ἐγκεχαραγμένος, ἔχων τοῖς ἰσχίοις βούκρανον, καὶ ὁ Ἀλεξάνδρου ἵππος, ἀφ᾽ οὗ πόλιν ἐν Ἰνδοῖς

κτίσαι

κτίσαι λέγεται Βουκεφάλειαν. *Bucephalus, equus coxas notatas habens capite bovino, & Alexandri equus, de cujus nomine dicitur in India condidisse urbem Bucephaliam.* Antiqui circa equos maxime curiosi erant, & quibus illi orti essent parentibus, sedulo inquirebant. Semper enim verissimum est illud *Horatii lib.* IV. *Od.* 4.

Fortes creantur fortibus & bonis:
Est in juvencis, est in equis patrum
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

Ut autem cognoscerent, quibus nati essent equi parentibus, clunibus eorum certas notas inurebant. Patet hoc ex *Anacreonte Od. ult,*

Ἐν ἰσχίοις μὲν ἵπποι
Πυρὸς χάραγμ' ἔχουσι.

Equi solent inustum
Coxis habere signum.

Equis in Phaside natis, referente *Suida*, inuri solebat avis phasianus. Hinc lux oritur *Aristophani* Νεφέλ. *Act.* I. *S.* I. ubi Phidippides, qui dormiens etiam rem equestrem animo agitabat, patrem Strepsiadem hunc in modum alloquitur:

Οὐκ ἂν μὰ τὸν Διόνυσον, εἰ δοίης γέ μοι
Τοὺς φασιανοὺς, οὓς τρέφει Λεωγόρας.

Quæ verba *Nicodemus Frischlinus* non ſatis recte videtur percepiſſe, ſic vertens: *Non ſane per Liberum, etiamſi phaſianos mihi dares, quos educat in vivariis Leogoras.* Vertendum enim eſt: *etiamſi mihi dares equos Phaſiano ave notatos.* Phidippides parum de phaſianis avibus ſollicitus, inducitur quaſi inepte jurans ſe nolle artem equeſtrem omittere, licet darentur ſibi equi præſtantiſſimi, in Phaſide nati. *Eâdem ſcenâ* Equi Κοππατίας mentio fit, ita dicti à literâ Κάππα vel potius Κόππα. Etiam equus quidam σαμφόρας vel σαμπφόρας vocatur, à litera σάμπι, quæ conflata eſt ex inverſo σῖγμα, & incluſo πῖ. Vide etiam *Petrum Fabrum Agoniſt. lib.* II. *cap.* 28. *in fine.* Unde Bucephalum nomen illud ob inuſtum bovis caput, aut literam B. accepiſſe; non verò ob taurinam capitis formam, recte ſtatuitur. Minime tamen rejicienda eſt eorum opinio, qui ob magnum caput Bucephali nomen equo eſſe inditum volunt. Βου *quoque particula* inquit *Henr. Stephanus in Græ. Ling. Theſauro, cum nominibus multis & verbalibus componitur, ubi non bovem ſignificat; ſed potius dictionum ejuſmodi ſignificationem auget. Ut in* βούβαλος *qui inſtar bovis gravis eſt, & magnus.* Hujuſmodi quoque ſunt Βούβοτις, βούβρωστις. βουγάϊος βουκόρυζος, βούλιμος &c. Ejuſdem ſententiæ eſt *Joſephus Scaliger Scaliger. Primis pag.* 22. Βου *apud Græcos intendit, ut* βούλιμος *&* Βουλιμία, *INGENS FAMES, VEHEMENS FAMES, à re-*

à refrigeratione ventriculi contracta. Sic particula VE apud Latinos, ut in VEHEMENS & aliis, Aliquando tamen minuit. Hinc fit βόειος vel βόϊος, de quo *Plutarchus Quæst. Græc. pag. mihi* 299. Ἠ τῷ μεγάλῳ ποδὶ, βοέῳ λέγουσιν, ὡς βοῶπιν ὁ ποιητὴς τὴν μεγαλόφθαλμον, καὶ βουγάϊον τὸν μεγάλαυχον. *Vel bubulo pede dicunt, pro magno; sicut Poëta boopin dixit magnis præditam oculis, & bougaium, qui se gloriose jactaret.* Atque hæc quidem occasione equi Bucephali, de quo videndi autores, quos citat *Freinshemius Comment. in Curtium lib.* VI. *cap.* 5. *num.* 18. Ipse Alexander in magno semper honore, æstimationeque est habitus: adeo ut omne præclarum; & quod reliquis præcelleret, de Alexandro Ἀλεξανδρεῶδες dictum fuerit, uti recte ab *Heinsio* observatum est *ad Silium Italicum lib.* XIII. Nihil igitur mirum, eum *Magnum* cognominatum & si vel per quietem videretur, læta somnia effecisse. De Augusto narrat *Suetonius Vit. Aug. cap.* 18. hunc in modum: *Per idem tempus, conditorium & corpus Magni Alexandri, cum prolatum è penetrali subjecisset oculis, coronâ aureâ impositâ, ac floribus aspersis veneratus est.* Simile quid de Julio Cæsare refert *Lucanus lib.* X. *v.* 15.

Intrepidus superum sedes, & templa vetusti
Numinis antiquas Macedûm testantia vires
Circuit, & nulla captus dulcedine rerum,

Non auro, cultuque Deûm, non mœnibus urbis,
Effossum tumulis cupide descendit in antrum.
Illic Pellæi proles vesana Philippi,
Felix prædo jacet terrarum, vindice fato
Raptus.

Idem hic Cæsar visa Alexandri imagine ingemuit, quasi pertæsus ignaviam suam, quod nihil dum à se memorabile actum esset ea ætate, qua jam Alexander orbem terrarum subegisset. Adi *Suetonium Vitâ Cæsaris cap. 7.* Augustus quoque, teste *Suetonio*, usus est annulo signatorio, cui Alexandri effigies erat insculpta. Scitu dignum est, quod de Macrianorum familia tradit *Trebellius Pollio in Quieto ex* XXX *Tyrannis: Videtur mihi,* inquit, *non prætermittendum de Macrianorum familia, quæ hodieque floret, id dicere quod speciale semper habuerunt. Alexandrum Magnum Macedonem viri in annulis argento, mulieres in reticulis & dextrocheriis, & in annulis, & in omni ornamentorum genere, exsculptum semper habuerunt: eò usque ut tunicæ & limbi & penulæ matronales in familiâ ejus hodieque sint, quæ Alexandri effigiem deliciis variantibus monstrent.* Tum paucis interjectis addit: *Quod idcirco posui, quia dicuntur juvari in omni actu suo, qui Alexandrum expressum vel auro gestitant, vel argento.* Aræ cujusdam Alexandro Magno, Cæsarique Augusto sacratæ meminit *Amm. Marcelli-*

cellinus lib. XXII. *pag.* 234. *Edit. Lindenb.* Vide porro *Freinshemium fin. Comment. in Curtium.* A Judæis maximum honorem Alexandro fuiſſe habitum, liquido ex his patet, quæ potius *Auguſti Pfeifferi* verbis, quam meis ſubjungam: *Sub ſecundo templo à monarchia Alexandri Magni publice recepta fuit* מנין שטרות *i. e.* ÆRA CONTRACTUUM, *idque, uti referunt in gratiam Alexandri. Cum enim hic deleto Perſarum regno, & Græcorum recens inſtituto, urbem Hieroſolymam bello petiturus & perditurus eſſet, Simeon, cognomine Juſtus, Pontifex maximus, Pontificali habitu indutus ei obviam proceſſiße, bellum avertiſſe, & certas pacis conditiones injiſſe dicitur. Tum Alexandro petenti, ut ſtatua ſua aurea in templo, inter gradus & altare erigeretur, Simeon prætexens non eſſe ſibi integrum ullum ſculptile templo inferre, præſtantius pollicitus fertur* μνημόσυνον, *ut omnes filii ſacerdotum illo anno naſcendi, Alexandri vocarentur, & omnes literæ contractuum ab anno ingreſſus ejus in urbem ſignarentur. Contigiſſe hoc dicitur anno mundi* 3638. *ſed juxta ſupputationem Judæorum* 3448. Hæc *Pfeifferus*, quem vide *Notis ad libellum de luſu, & autores, quos ipſe citat; nec non Joſephum Scaligerum de Emend. Tempo. lib.* V. *pag.* 429. Neque apud ſolos Judæos computus Alexandreus obtinuit; ſed apud pleroſque etiam Orientis populos. Etiam hodie eo utuntur Chriſtiani in Syria & Arabia; ut &

Muhammedani. Bene autem obſervandum eſt, quod ait *Scaliger Proleg. pag.* 10. quoſdam ignoraſſe, *diverſa eſſe initia Regum, ut ipſius Nabuchodonoſori cum patre & ſolius : Alexandri ab exceſſu Philippi Patris, & ab initio Seleuci.* De Muhammedanis facta mentio in mentem mili revocat, quod aliquando de Turcis legi. Ils confondent, dit *Monſieur Ricaut dans ſans Hiſt. de l'empire Ottoman Liv.* I. *C.* 3. tellement l'Hiſtoire & la Chronologie, qu'ils diſent que Job eſtoit Juge de la cour de Salomon, & qu'Alexandre le Grand eſtoit General de ſes armées. *Sunt*, inquit D. Ricotus, Hiſt. de Imperio Turcico Lib. I. Cap. 3. *Hiſtoriarum & chronologiæ ſic imperiti, & ita eas confundunt, ut dicant Jobum judicem fuiſſe in aulâ Salomonis, & Alexandrum Magnum ducem exercituum ipſius.* Si cum quibuſdam metempſychoſin ſtatuerent, nón dubito, quin crederent animam Alexandri in ſuis Imperatoribus habitare. Hoc de ſe Julianus credidit, de quo *Hiſtoria Miſcella cap.* 41. ſic habet : *Putabat enim ſecundum Pythagoream Platoniſque ſententiam, ex mutatione corporum Alexandri animam poſſidere, aut eſſe potius in alio corpore alium Alexandrum. Ob hanc itaque cauſam Perſarum Regis noluit admittere preces.* Mirum eſt, quod ex *Chryſoſtomo* docet *Balduinus de Calceo cap.* 17. *pag.* 186. quoſdam aurea veterum regum numiſmata, utpote Alexandri Magni, calceis ad pretioſiorem orna-

ornatum adjunxiſſe:nempe aureum illud os *Hom. ad Pop. Antiochenum* per interpretem hæc ait: *Quid vero diceret aliquis de circumligantibus aurea Alexandri Macedonis numiſmata pedibus? Dic mihi, hane ſunt ſpes noſtra, ut poſt crucem Domini, gentilis Regis in imagine ſpem ſalutis habeamus?* Ex quibus verbis patet non ornatus tantum cauſa, ſed etiam ad bonum proſperi eventus omen, hoc factitatum fuiſſe, ut recte *Balduinus* monet *pag.* 222. Plura de Alexandro ſubtexere, cuivis facile eſſet; ſed omnibus in rebus modus eſt optimus: imprimis in ſcriptionibus. Autores, qui de Alexandro & ejus geſtis ſcripſerunt, enumerat *Freinshemius Proleg. in Curtium.* Quoſdam ab illo omiſſos recenſet *Reineſius Epiſt. ad Rupertum pag.* 311. Vide etiam ipſum *Rupertum pag.* 320. Et rurſus *Reineſium pag.* 384. *&* 409.

CAP. XX.

Urna Severi osculis excepta. Adorare. Heraldus, Lipsius, & Henricus Salmuth notati. Martyrum vulnera olim osculabantur. Ante celebrationem sacræ cœnæ Christiani olim sibi invicem oscula figebant: recens baptizatis non item. Imperator Pontificis Romani pedes osculabatur, & Pontifex Imperatoris. Theodoræ Augustæ pedes etiam patricii osculo prosequi solebant. Nonnihil de Theodora & duabus aurigarum factionibus Venetis atque Prasinis.

PRodiit nuper non inelegans libellus *Jacobi Lydii*, quem vocat *Florum sparsionem ad Historiam Passionis Jesu Christi.* Ibi occasione osculi, quo Judas Salvatorem nostrum prodidit, multa colligit de osculis, & qui de iis scripserunt, autores enumerat. His potuisset addere *Dissertatorem anonymum*, cujus opusculum exstat in *Fasciculo Joco-Seriorem*, & imprimis *Jacobum Herrenschmidium*, qui anno hujus seculi trigesimo, edidit *Osculologiam Theologo-Philologicam.* Nos quæ de hac materia promamus, hodie habemus admodum pauca. Juvat tamen non nulla

nulla addere, omnibus haud ita nota. Moribundis, quin & jam mortuis oscula fixisse veteres, à viris doctissimis est traditum. Vide *Kirchmannum de Funeribus Roman. lib.* I. *cap.* 5. *Quenstedt de Sepultura Veterum cap.* 5. *Alexandrum ab Alexandro lib.* III. *cap.* 7. *& ibi Tiraquellum.* Sed urnam, quâ mortuorum reliquiæ condebantur, osculo exceptam nemo præter *Herodianum*, quod scio, hactenus narravit. Is *lib.* IV. *cap.* I. sic habet: Εἵποντο δ' ὄπισθεν αὐτοῖς οἱ τὴν ὕπατον ἀρχὴν τότε διέποντες, κάλπην φέροντες, ἔνθα ἦν τὰ Σεβήρου λείψανα. Οἵ τε προσαγορεύοντες τοὺς νέους αὐτοκράτορας, παρελθόντες καὶ τὴν κάλπην προσεκύνουν. *Post sequebantur consules, urnam cum Severi reliquiis gestantes. Qui autem novos Imperatores consalutaverant, urnam quoque ipsam supplices adorabant.* Recte vertit Politianus *supplices adorabant.* nam προσκυνεῖν est manu ori admotâ Diis supplicare, quod Latini adorare dicunt. Contra quam *Heraldus* statuit *ad Arnobium pag.* 33. qui putat adorare idem esse, quod orare ad, sicut dicimus adire ad Deos. De adoratione multi multa scripserunt, inter quos *Brissonius de form. lib.* I. *Petrus Pithœus Adversi lib.* I. *cap.* 3. *& imprimis Lipsius Elect. lib.* II. *cap.* 6. Qui tamen in eo fallitur, quod existimat adorantes manum prius porrigere, deinde statim ad os referre solitos: nam contrà faciebant. Quippe manum osculari, deinde eam adversus illum, quem adorabant, protendere consueverant. Clare hoc docet *Salmasius*, *& ex*

eo Ouzelius ad Minucium Felicem pag. 6. *nec non Servatius Gallæus ad Lactantium lib.* II. *cap.* 4. Adorationem ipse *Minucius pag.* 2. sic describit : *Cæcilius, simulacro Serapidis denotato, ut vulgus superstitiosus solet, manum ori admovens, labiis osculum pressit. Lipsii* errorem multi sequuntur, decepti auctoritate viri in literis præclari. Ipse sequutus videtur *Turnebum*, si verum est, quod *Salmuth* refert *ad Pancirollum de Rebus deperdit* : *Tit.* 46. ipse enim *Turnebus* non est mihi hodie ad manum. Præjudicio autem *Salmuth* laborat, cum putat idem à *Mureto* fuisse dictum *Var. Lect. lib.* X. *cap.* 1. nam contrarium ex ipsis *Mureti* verbis patet. Cum ex eo quæsitum esset, num illa in salutandis potentibus consuetudo, quâ nostram ipsi manum ori admovere solemus, veteribus æque ac recentioribus esset usitata, hunc in modum respondit : *Solebant & illi, cum aut fanum aliquod præterirent, aut lignum lapidemve aliquem aspicerent, in quo divinitatis aliquid esse opinarentur, (neque enim vilior illis temporibus ullius rei, quam Deorum, annona erat) manum ad os referre, & tenui murmure illos lapideos aut ligneos Deos, ut sibi faverent, præcari.* Ne γρῦ quidem addit de protensione manus, quæ fiebat prius, quam manum ori admovissent. Fateor nos apud veteres non nunquam legere, bucculam, aut aliam corporis partem manu prius tactam, dein manum ad os relatam fuisse; sed id animo amatorio potius, quam reli-

religioso fiebat. *Suetonius* narrat *Vit. Aug. cap.* 94. Quinctum Catulum somniasse, *quasi Jupiter compluribus praetextatis tutorem à se poscentibus, unum ex iis demonstrasset, ad quem omnia desideria sua referrent: ejusque osculum delibatum dignitis ad os suum retulisset.* Quæ verba nollem viri doctissimi de adorationis ritu interpretati essent. De Jove itidem apud *Apulejum Metam. lib.*III. legimus: *Tunc Jupiter, prehensâ Cupidinis bucculâ, manuque ad os suum relatâ, consaviat.* Vide *Pricaeum notis ad h. l.* Diximus urnam Severi osculis fuisse honoratam. Jam notandus est mos Christianorum, qui martyrum vulnera olim exosculabantur. In *Martyrologio Romano A. D.* XIII. *Cal. Martii* sic habes: *S. Julianus Cappadox, exosculans necatorum martyrum corpora, ut Christianus delatus, & ad praesidem ductus, lento igne jussus est comburi.* Ad quem locum *Baronius* hæc verba ex *Prudentio* adfert περὶ Στεφ. *Hym.* V.

Ille ungularum duplices
Sulcos pererrat osculis:
Hic purpurantem corporis
Gaudet cruorem lambere.

De Constantino Imperatore apud *Theodoretum Hist. Eccl. lib.* I. *cap.* 11. legitur: Θεασάμενος δὲ τινὰς τοὺς δεξιοὺς ὀφθαλμοὺς ἐκκεκομμένους, καὶ μαθὼν ὡς τὸ περὶ τὴν εὐσέβειαν ἑδραῖον τοῦ πάθους ἐγένετο πρόξενον, τὰ χείλη τοῖς τραύμασι προσενήνοχεν, ἑλκύσειν ἐκεῖθεν τῷ φιλήματι τὴν εὐλο-

γίαν πιςδίων. *Videns autem aliquos, quibus dexter oculus erat excußus, & edoctus pietatis causâ, cui firmiter adhærebant, hoc esse perpessos, vulneribus labra admovit : persuasus se benedictionem inde per osculum exsucturum.* Nihil igitur mirum est, consuevisse olim Christianos in mutui amoris signum, invicem se osculari, antequam sacram Eucharistiam celebrarent: quâ de re vide *Iacobúm Lydium de Sacra Cœna Literat. pag.* 97. & *Danielem Fesselium Advers. Sacrorum lib.* III. *cap.* 7. *pag.* 283. Hoc posteà ab Innocentio est mutatum, qui instituit, ut post celebrationem fideles mutuò sibi oscula darent. Nihil est fidelibus inter se magis unitum, qui spirituali quadam cognatione omnes connectuntur. Cognationem osculo olim probatam fuisse, ostendit *Petrus Ærodius Decretorum lib.* V. *Tit.* 12. §. 1. Apud Romanos autem Græcosque præter necessarios nemini mulieres osculari licuit. *Propertius* eò respexit ad Cynthiam scribens *lib.* II. *Eleg.* 5.

Quin etiam falsos fingis tibi sæpe propinquos,
Oscula nec desunt, qui tibi jure ferant.

Idem apud Hebræos obtinuisse ostendunt exempla à *Fesselio l. c.* allata. Volunt quidam (quos inter in primis est Bellarminus) recens baptizatis osculum dari fuisse solitum, non quidem in ore, ut moris est; sed in imo baptizati pede à ministro, qui eum tinxerat : verum illos solide refellit insignis Theologus, *Ioannes Dallaus de*

cult.

cult. Rilig. Latinorum lib. I. *pag.* 13. Quæ de pedum osculis traduntur, ea sunt omnibus notissima. Hoc servile se colendi genus admiserunt Romani Principes: cujus primum inventorem esse ferunt Cajum Caligulam. Romani Pontifices hoc postea imitati sunt, quos non puduit ipsis Imperatoribus humi prostratis pedes deosculandos porrigere. Ferunt in castello Sancti Angeli, ubi habitare solet Papa Romanus, de Carolo V. Cæsare, & Paulo III. Pontifice, hosce versus marmori incisos legi:

E Lybia advenit Romanas victor ad arces
Cæsar, & in niveis aureus ivit equis.
Ille triumphavit; sed tu plus Paule, triumphas:
Victor namque tuis oscula dat pedibus.

Non possum, quin addam, quæ hac de re occurrunt apud *Polydorum Virgilium*, hominem Papistam, *de rerum invent: lib.* IV. *cap.* 13. *Romani Pontifices*, inquit, *deosculandos pedes exhibendi morem à Christo se accepisse contendunt. At Christus non Magdalenæ osculandos pedes obtulit; sed sponte peccata fatentem, & suam misericordiam non solo amplexu genuum, ut ethnici, sed etiam osculo pedum implorantem, ejus consolandæ causâ admisit: hoc ipsum honoris genus alioquin non minus repudiaturus, etsi sibi re verâ debitum, quam appellationem Magistri boni. Sic quoque Petrus Cornelium centurionem ad genua procidentem manu sua sublevavit, S V R-*

G E,

GE, inquit, HOMO SUM TIBI SIMILIS: tantum abfuit ut oſculandos pedes exhibuerit. Decipimur ſpecie recti, & ſæpe cum Caligula pedes protendimus, dum Chriſti humilitatem vel ſpernimus, vel fucato conſervandæ Apoſtolicæ autoritatis titulo exornare laboramus. Nihilo ſecius tamen ex iis, quæ *Alemannus* citat *ad Hiſt: Arc. Procopii Pag.* 115. clare patet ipſos eccleſiaſticos, quin & Pontificem Romanum deoſculatos fuiſſe pedes Juſtiniani, licet illa aliorſum ab *Alemanno* accipiantur. Neque obſtat, quod alibi legimus Juſtinianum à Pontifice filium dictum: & hunc ipſum Imperatorem Conſtantini Papæ pedibus oſcula fixiſſe. Oſcula ſunt ſubjectionis & obedientiæ ſigna. Exempla vide *Geneſ.* xlj. 40. 1 *Sam.* x. 1. Huc referendum eſt, quod *Tacitus* ait *Lib.* I. *Hiſt. Ruere cuncti in caſtra, laudare militum judicium, exoſculari Othonis manum.* Igitur ut ſuam obedientiam Pontifex teſtaretur Imperatoris pedes oſculatus eſt: Imperator autem Pontificis, ut filium ſe eccleſiæ oſtenderet, cujus veluti caput Pontifex erat. Nondum enim hic in Imperatores ipſos ſibi imperium arrogaverat. Non eſt hoc loco prætereundum quod *Caſaubonus* ſcribit *Exercit*: XIV. *ad Annal. Baronii Num* 5. *Mos oſculandi pedes*, inquit, *olim genus fuit reverentiæ, & Epiſcopis & Abbatibus, & aliis ſanctimoniâ claris viris paſſim exhiberi ſolita; ut ſexcentis exemplis alibi probamus: poſtea is ritus ad cultum Romani Pontificis proprie*

eſt

est translatus. Ubi autem *Casaubonus* multis exemplis hoc probet, juxta scio cum ignarissimis. De Imperatorum uxoribus eodem hoc honore cultis non temere alibi, quam apud *Procopium* exemplum legas. Is *Hist. Arcan. Pag.* 68. narrat quosdam ex patriciis Theodoram Justiniani uxorem προσκυνήσασθαι, καὶ ταρσοῦ ἑκατέρου ποδὸς ἄκρῳ χείλει ἅψασθαι. *adorasse, summisque labiis utriusque pedis plantam osculatos fuisse.* Huc etiam respicit *Pag. seq.* dicens aliquem ex patriciis προσκυνῆσαι τὴν Θεοδώραν, ὥσπερ αὐτὴν προσκυνεῖν εἴθιστο. *Theodoram adorasse, quo pacto eam adorare moris est.* Ante Theodoram hunc morem non obtinuisse, ex eodem *Procopio Pag.* 133. discimus: Βασιλίδα μέν τοι προσκυνεῖν οὐδαμῆ εἴθιστο. Παρὰ δὲ Ἰουστινιανόν τε, καὶ Θεοδώραν τὰς εἰσόδους ποιούμενοι, οἵ τε ἄλλοι ἅπαντες, καὶ ὅσοι τὸ πατρικίου ἀξίωμα εἶχον ἔπιπτον μὲν εἰς τὸ ἔδαφος, εὐθὺς ἐπὶ στόμα χειρῶν, καὶ ποδοῖν ἐς ἄγαν τετανυσμένων, τῷ χείλει ποδὸς ἑκατέρου ἁψάμενοι, ἐξανίσταντο. *Augustæ nullus adorandæ mos fuit. Verum cum in conspectum Iustiniani, Theodoræque venirent tum alii, tum qui patriciæ dignitatis essent, statim in faciem procumbebant, pedibusque ac manibus tensis utrumque principis pedem osculo prosequebantur, ac tum abscedebant.* Hoc minus mirum videbitur iis, qui sciunt Magistratus & præsides provinciarum, Theodoræ æque ac Justiniano fidem, juramenti religione, publice professos suam utrique acceptam retulisse dignitatem, & utriusque servos sese appellasse. Hæc est, de qua ipse Imperator ait *Nov.* VIII. *Cap.* I. *Hæc omnia apud*

nos cogitantes, & hic quoque participem consilii sumentes eam, quæ à Deo data est nobis reverendissimam conjugem, ad hanc sacram venimus legem. In hac Theodora verum apparuit, quod est apud *Æschylum* Poëtam *Prometh. Vinct.*

Ἅπας δὲ τραχὺς, ὅστις ἂν νέον κρατῇ.

Quippe qui humili genere nati ad imperium evehuntur, truces plerumque sunt & feroces, ac pro vera majestate crudelitate se atque sævitia induunt. Quantum veræ gloriæ deest, tantum mutuari conantur ab externâ pompâ, & splendidis titulis. Erat Theodora patre nata ursario, bestiis ad amphitheatrales Prasinorum venationes alendis præfecto. Post Acacii patris obitum corpore quæstum publice fecit, omnium se libidini exponens. Transiit quoque ad Venetos, & ab his cum matre sororibusque munus alendi bestias accepit. Hæc monere me poterant, ut de circo & aurigarum factionibus aliquid adderem; nisi *Onuphrius Panvinius*, & *Julius Cæsar Bulengerus*, singulari industriâ Viri, de circo & ludis circensibus abunde conscripsissent. Præter hos quoque adi *Alexandrum ab Alexandro Lib.* V. *Cap.* 8. *Hier. Mercurialem de Arte Gymnasticâ Lib.* III. *Cap.* 9. *Rosinum Lib.* V. *Cap.* 5. *ibi Dempsterum.* Pauca de Prasinis & Venetis ex *Alemanno* hæc addam. Is *Pag.* 65. *Not. ad Procopium* sic scribit: *De origine Prasinorum ac Venetorum sic in antiquis historiarum Collectaneis Cod. Vat.* 96. *legebam:*

Οἰνόμαος πρῶτος ἐφεῦρε τὰ τοῦ ἱπποδρόμου χρώματα, ἀγωνιζομένης γῆς καὶ θαλάσσης. ἐβάλλοντο κλῆρον, καὶ ὁ ἔλαχεν ὑπὲρ τῆς γῆς ἀγωνίζεσθαι, ἐφόρει χλοανὸν, ὁ δὲ ὑπὲρ τῆς θαλάσσης κυάνεον, καὶ ἐποίει τὸν ἀγῶνα Μαρτίου εἰκοστῇ τετάρτῃ. Καὶ εἰ μὲν τὸ χλοανὸν ἐνίκα τῆς γῆς εὐφορίαν ἤλπιζον. εἰ δὲ τὸ κυάνεον τῆς θαλάσσης εὔπλοιαν. Καὶ ηὔχοντο οἱ μὲν γεωργοὶ τὸν χλοανὸν νικᾶν· οἱ δὲ ἂν πάλιν ναῦται τῷ κυανέῳ ἐβούλοντο τὴν νίκην. *OEnomaus primus adinvenit Circensium colores, quibus terræ ac maris quasi certamen repræsentavit. Mittebantur sortes: quem vero contigisset terræ vicem agere certando, ille vestem viridem induebat; cæruleam vero, qui vices maris agebat. Hoc certamen vigesima quarta die Martii Oenomaus instituit. Quod si color viridis vicisset, terræ fertilitatem omnes sperabant; si cæruleus tranquillam maris navigationem. Quare agricolæ optabant victoriam viridi colori: nautæ cæruleo.* Quantas & quam multas aurigarum factiones, Prasina imprimis & Veneta, turbas in ipsa Republicâ dederint, ex historiis Romanis patet. Notum est illud de Vitellio qui, referente *Suetonio Vitâ Vitel. Cap.* 14. *quosdam & de plebe obid ipsum, quod Venetæ factioni clare maledixerant, interemit: contemptu sui & nova specie id ausos opinatus.* Quanto melius, *Marcus Antoninus Lib.* I. τῶν εἰς ἑαυτὸν §. 2. Παρὰ τοῦ τροφέως, inquit, (ἔμαθον) τὸ μὴ πρασιανὸς, μήτε βενετιανὸς, μήτε παλμουλάριος ἢ σκουτάριος (legendum est σκουτάριος, ut viri doctissimi censent) γενέσθαι. *Ab educatore [dedici] ne spectator fautorque Prasianus, aut Venetianus; neve palmularius, aut se-*

sequutarius merito audirem. Credo sapientissimum Principem hæc *Epicteti* legisse *Ench. Cap.* 49: Εἰς τὰ θέατρα τὸ πολὺ παριέναι οὐκ ἀναγκαῖον. εἰ δέ ποτε καιρὸς εἴη, μηδενὶ σπουδάζων φαίνου ἢ σεαυτῷ. Τουτέστι, θέλε γίνεσθαι μόνα τὰ γινόμενα, καὶ νικᾷν μόνον τὸν νικῶντα. *Theatra frequentare non est necesse: sed si quando tempus tulerit, te nulli nisi tibi ipsi studere appareat, hoc est, ea duntaxat fieri velis, quæ fiunt; & eum solum vincere, qui vincit.* Habes hic, mi Lector, *Variarum* nostrarum *Lectionum* viginti capita. Constitueramus & altera viginti addere; sed differendum istud est certis sonticisque de causis. Sumus etiam lassi quodam modo & defatigati.

Scribere plura libet; sed vox mihi fessa loquendo
Deficit, & lasso pollice sistit opus.

FINIS.

I N D E X

Rerum & Verborum.

A.

B.

C.

D.

E.

E.

F.

G.

H.

I.

K.

L.

M.

 Μύστρος.

N.

O.

P.

Ψυχή.

R.

S.

T.

V.

LECTORI.

Audi, quæso, humanissime Lector, meam querelam. Libellum nec bonum satis, nec magni momenti multo pejorem reddidit is, cui Bibliopolæ provinciam errata typothetarum corrigendi commiserant. An deditâ opera hoc fecerit, an verò per incuriam, non dixero. Multa eum corrupisse, certum est: dum ipse procul dego à loco, ubi libellus excuditur. Videbis interpunctiones vel omissas plane, vel loco non suo positas: diphtongos in simplices, simplices in diphtongos mutatas: majusculas adhibitas, ubi minime oportuit; neglectas, ubi adhibere decuit. Nulla fere Græca vox est bene, & accentu suo notata. Hæc volui ut scires, ne forte meæ negligentiæ imputares. Est tamen ubi & ipse cespitaverim. Bis terve particulas *aut* & *vel* pro *sive*, & vice versa, posui. Nam licet multi hæc promiscue usurpent, tamen quid intersit eruditi non ignorant. Graviora errata notavi, cætera ut tute corrigas iterum iterumque te rogo: omnia enim enumerare nec volui, nec potui. Ultimæ philyræ sunt tamen sic satis accuratæ, quarum correctioni Frater præfuit.

E R R A T A.

PAg. 8. lin. 3. *paucas* pro *paucos*. l. penul. *absone* pro *absque*. pag. 11. l. 9. *a pueris* pro *a puero*. pag. 13. l. 9. *un* pro *une*. pag. 16. l. 24. *esset* pro *essent*. pag. 17. l. 12. *non sumptum* pro hoc *sumptum*. pag. 18. l. 16. *ea in* pro *eam*. pag. 21. l. 7. *consuevit* pro *consuluit*. ——— l. 10. τῶν ὀλιγραφοῦσιν pro τῶν ὀνομάτων οὐχ ὀλιγραφοῦσιν. ——— l. ult. *Lib.* pro *Leg*. pag. 22. l. 27. *cinnabarum* pro *cinnabarin*. pag. 25. lin. 22. *miniatulus* pro *miniatulas*. pag. 27. l. 27. *manum* pro *magnum*. pag. 31 l. 19. *minuta* pro *miniata*. pag. 36. l. 24. *cogitarent* pro *cogitaverit*. pag. 39. l. 11. *Mitsram*, pro *Mithram*. pag. 41. lin. 21. *ne quod* pro *non quod*. pag. 49: lin. 25. *sequitur* pro *loquitur*. pag. 52. lin. 14. *in provincia* dele *in*. pag. 54 l. 13. *tulerit* pro *retulerit*. pag. 55. l. 19. *si essent* pro *si esset*. pag. 58. l. 21. *carebimus* pro *cavebimus*. pag. 67. l. 10. *Hoc* pro *Hos*. pag. 70. l. 15. θειρίων pro θηρίων. pag. 72. l. 6. *prodierunt* pro *prodeunt*. pag. 92. l. 24. *Laurentia* pro *Larentia* pag. 94. l. 12. *lo* pro *loco*. pag. 96. l. 14. *refectam* pro *perfectam*. pag. 98. l. 6 *obsoelt* pro *obsoleti*. pag. 99. l. 11. ἱμαντα pro ἱμάντα. ——— l. 12. θελνθήρια pro θελκτήρια. pag. 105. l. 11. *vocabulo* pro *vocabulario*. pag. 108. lin. 15.

ERRATA.

lin. 15. *Marolli* pro *Marollesii*. pag. 119. lin. 14. *incerta* pro *atque incerta*. pag. 120. lin. 16. *quam de* pro *quam scripsit de*. pag. 124. l. 23. *sacris* pro *sacri*. pag 127. l. 1. *Esaia* pro *de Esaia*. pag. 128. l. 21. *pure* pro *pureque*. pag 134. lin. 27. *Bibliopolis* pro *Bibliopoliis*; pag. 138. l. 15. *Hoc* pro *Hos*. pag. 140. l. penul. *præfertim fors* pro *præsertim fors*. pag. 143. l. 7. *Quia* pro *quin*. ——— l. 13. *don* pro *non*. pag. 147. l. 23. *catâve* pro *rotâve*. pag. 149. l. 26. Locus ex Hebræo Mosis citatus omnino est transpositus, ut & alter, qui subsequitur. ——— l. 28. *&* *Caphtor* pro *e Caphtor*. pag. 152. l. 9. Τοιότων pro Τοιύτων, & *τίεϱον* pro ἱτίεϱον. pag. 153. l. 18. *cua* pro *sua*. pag. 171. l. 22. *locaruna* pro *locarunt*. pag. 172. l 11. *Quod &* pro *quos &* pag. 180. lin. 10. *Paraleg.* pro *Paralip.* pag. 183. l. 19. *intererant* pro *interierant*. pag. 187. l. 29. *manibus* pro *in manibus*. pag. 205. lin. 16. *Thraica* pro *Thracia*. pag. 230. l. 17. *Phelgonte* pro *Phlegonte*. pag. 234. l. ult. *terram* pro *terras*. pag. 239. l. 2. *ut fulmina* pro *aut fulmina*. pag. 241. lin. 15. *gerit cornua* pro *gerit fulmina*.

FINIS.

